Dieſe ſo geſtaltete Chronik reicht bis zum Jahre 1525; eignet ſich aber nicht zu einem Abdruck in den Quellen, weil ſie im Ganzen nur eine unverdauete Congeries von Thatſachen aus den verſchiedenſten Quellen aller Zeiten, von verſchiedenen Verfaſſern, ohne Verarbeitung zu einem Ganzen darſtellen. Wir haben deswegen nur in einigen wenigen Fällen Veranlaſſung gehabt, Stellen daraus, als Varianten zu unſerem Texte, in den Noten aufzunehmen.

Was nun das Alter der nachſtehenden Chronik betrifft, ſo reicht dieſelbe bis zum Jahre 1392, wo ſie den Tod des Grafen Engelbert III. von der Mark berichtet. Es iſt alſo unrichtig, wenn es auf dem ſpäter hinzugefügten Titel der Handſchrift B. 1. heißt: usque ad ann. Chr. 1350. Sie iſt aber auch noch ſpäter verfaßt, als 1392; denn im Leben des 25. cleviſchen Grafen Diedrichs IX. wird des Papſtes Paul II. gedacht, der 1465 zur Regierung kam und im Leben des 27. cleviſchen Grafen Diedrich des Frommen, heißt es von der Eroberung Calais durch Eduard III. von England im Jahre 1346, die Stadt werde noch jetzt von den Engländern beſeſſen; ſie verloren ſie aber 1558, die Chronik muß alſo zwiſchen 1465 und 1558 geſchrieben ſein und zwar nach 1499, wo die im Leben des Grafen Adolf v. d. Mark als Erzbiſchofs

von Cöln erwähnte cölner Chronik gedruckt wurde, sie fällt also wohl ins erste Viertel des 16. Jahrh. und es ist nicht nur ganz unrichtig, wenn es auf dem Titel der Handschrift B. 2. heißt: exaratum anno Cr. 1455, sondern es dürfen auch die Worte der Einleitung, welche ein Ereigniß aus dem Jahre 1444 als id quod ævo nostro accidit, bezeichnen, nur etwa durch: neuerer Zeit übersetzt, nicht aber mit Ficker (Zeitschr. für westf. Gesch. B. 13, S. 263) so strict genommen werden, als ob die Chronik noch am Ende des 15. Jahrh. verfaßt sei. Dazu kömmt, daß dieselbe nicht vollendet ist. Der Verf. verweiset an mehren Orten, namentlich im Leben des 28ten Grafen Joh. v. Cleve, des Herzogs Reinold v. Geldern († 1373) und des Grafen Engelbert II. v. d. Mark auf Ereigniſſe, die er im Leben dessen Bruders, Adolfs V. († 1394) ausführlicher erzählen will. Was er aber zuletzt von diesem berichtet, das beschränkt sich auf dessen Regierung als Erzbischof von Cöln, welche derselbe 1364 resignirte. Der Verf. hat also die Ereignisse nicht so weit herab geführt, als er wollte und seiner Lebenszeit nach konnte.

Der Verfasser der Chronik ist übrigens nicht bekannt. Was sich aus dieser selbst, über seine persönlichen Verhältnisse entnehmen läßt, das ist äußerst wenig. Im Leben des Grafen Adolfs V., wo er denselben gegen die Anschuldigung der cölner Chronik, daß er die erschöpfte cölnische Kirche noch mehr heruntergebracht habe, in Schutz nimmt, sagt er emphatisch: aber wir Clever stellen dieses als unwahr, standhaft in Abrede.[2]) Er war also ein clevischer Landsmann und zwar ein recht patriotischer; denn alle clevische Grafen ohne Ausnahme, schmückt er so reich mit ausgezeichneten Gaben des Geistes, des Gemüths und des Körpers, daß es ihm bisweilen schwer wird, in die Characterschilderung derselben einige Abwechselung zu bringen. Eben so geht aus der ganzen Haltung seiner Darstellung hervor, daß er dem geistlichen Stande angehörte. Nicht nur, daß er von demjenigen, was die einzelnen Helden seiner Chronik für geistliche Stiftungen gethan, nichts unerwähnt läßt und dieses

[2]) Quod tamen nos Clivenses constanti abnuimus pectore et inficiamur.

ihnen vor allem Anderen hoch zum Verdienſte anrechnet, iſt er auch ſehr eiferſüchtig auf die Rechte des Clerus. So beklagt er im Leben Engelberts des 8ten Grafen v. d. Mark, daß die Lütticher die Geiſtlichen mit ungewöhnlichen Laſten und Zöllen gegen die kirchliche Immunität beſchwert hätten;[3]) im Leben Adolfs des 9ten Grafen v. d. Mark heißt es wieder, daß die Bürger ſich anmaaßlich gegen den Clerus betragen hätten[4]) und im Leben des cölniſchen Erzbiſchofs Wilhelm von Gennep, iſt er ſogar ſehr unwillig darüber, daß die von dieſem für ſeine Kirche — eben nicht auf die glimpflichſte Weiſe — geſammelten Schätze, größtentheils durch den apoſtoliſchen Fiscus verſchlungen ſeien.[5])

Was ſchließlich die Wichtigkeit der Chronik für unſere Geſchichte betrifft, ſo iſt dieſe zwar zunächſt aus ihr ſelbſt zu entnehmen. Wir wollen jedoch hier beiſpielsweiſe beſonders aufmerkſam darauf machen, daß wir aus ihr im Leben Arnolds des 17. Grafen von Cleve, zum Jahre 1132 die uns bisher unbekannten[6]) Urſachen erfahren, um deren willen der junge Graf Florenz von Holland, von Graf Hermann von Cuich und deſſen Bruder Gottfried I. von Arnsberg, nicht zu Utrecht, ſondern in deſſen Nähe, zu Alſteden erſchlagen wurde und daß ſich aus dem Leben Engelberts Grafen von der Mark ergiebt, warum derſelbe als Marſchall von Weſtfalen gegen Graf Gottfried IV. von Arnsberg zu Felde zog und die Städte Arnsberg und Neheim zerſtörte,[7]) zu deren Wiedererlangung Gottfried die Burg und das Land Fredeburg ganz an Engelbert abtreten mußte.

Prima origo principatus atque etiam genealogia principum ditionis Clivensis.[8])

Anno ab vrbe condita quadringentesimo quadragesimo secundo, ante Christi ex virgine incarnationem trecentesimo,

---

3) Contra ecclesiasticam certe libertatem vexare ceperunt. — 4) Cives denuo protervientes in Clerum. — 5) Ingentes auri massas relinquens, quas fiscus apostolicus pro majori parte devoravit. Vergl. Jacobus de Susato, Quellen I, S. 201. — 6) Seibertz Geſchichte der weſtf. Grafen S. 107. — 7) Daſelbſt S. 229. — 8) Dieſe Ueberſchrift fehlt in B. 1. H. und D.

temporibus Alexandri magni, Græcorum monarchæ, Sadoch[9]) summi sacerdotis Judæorum atque Fabij et Papyrij coss. duo illustrissimi romani fratres de Vrsinis, quatenus ignominiam Samniticæ cladis apud caudinas furculas a Romanis acceptæ diluerent, florenti relicta Italia, alpibusque transcursis[10]) ad Rheni fluminis fontes, ex Lepontio monte ingenti strepitu prorumpentes,[11]) peruenerunt. Inde flexuosos[12]) Rheni meatus descendendo comitantes, ad locum, quo Walam et Jssulam flumina a se rejicit, nobilissimas quoque Batauorum insulas disterminat, deuenerunt; vbi in monte prælto, in Rheni ripis tum locato, arcem exstruxere cum castello nobilissimam ac munitissimam, quæ a ciuitate, de post in montis decliuo condita, Cliuis hodie nuncupatur; cujus nimirum facti corroborat veritatem, id quod nostro æuo accidit ao. dni. 1444;[13]) quando quidem vetustissima illa Ursinorum arx solotenus corruit, vetustatis suæ fundamenta et monumenta antiquis characteribus intitulata continens; in quo quidem loco Adolphus dux primus turrim cygnorum[14]) altissimam illico construxit in eam qua[15]) nunc cernitur erecta formam.

Anno autem ab urbe condita 697[16]) ante Christi incarnationem 55,[17]) C. Julius Cæsar, cum in Gallorum subjectione operam navaret, audiens Vsipetes et Tenctros Germanos a Suevis patria pulsos, trajecto Rheno non longe ab ejus divisione Menapiorum agros et gentium Rheno incumbentium[18]) colonias et castella devastare et prædas agere, Galliisque imminere, traductis mox in[19]) finibus Menapiorum legionibus, Germanos hortatur ut Gallia excedant aut ad bellum se disponant. Congressione vero facta cum Germanis in confluentibus Mosæ et Walæ, victoria potitus Julius, CCC ferme hominum millia promiscui sexus vel gladio vel aquis exstinxit, cumque Clivensium Ursinorum castrum, ab his

---

9) Gadoch H. und D. — 10) alpibusque relictis et transversis H. und D. — 11) erumpentes B. 2. — 12) fluctuosos, H. und D. — 13) 1344, H. und D. — 14) lignorum H. und D. — 15) in qua B. 2. — 16) quadringentesimo quadragesimo quarto, D — 17) 15, H 40, D. — 18) gentem Rheno incumbentem B. 2. — 19) in fehlt in H. und D.

Germanis disjectum et quassatum pene[20]) existeret, C. Jul. Cæsar illud restituens ampliavit, illorumque dominium longe lateque dilatavit. Nam Ubiorum gentem a Suevis ultra Rhenum depulsam, in Gallia habitare permisit, Rheni ripam illorumque tutelam et gubernationem Clivensibus Ursinis commendavit, quos et præfectos instituit. Julius quoque Cæsar sub id tempus, edomita Gallia et freno Germanis injecto, antequam ad Batavorum et Britannorum vires conterendas arma parasset, binas in Rheni ripa[21]) arces erexit solidissimas ad suarum legionum refugia, quas a Drusa et Magia Deabus, vnam Duisborch et alteram Magiam nuncupavit, quæ ab illius renovatione Neomagium hodie[22]) dicitur; quas quidem arces et legionum præsidia[23]) Ursinis Clivensibus tuendas commendavit. Refert nimirum Sichardus[24]) Cremonensis chronographus, quod Clivenses a Julio sortiti sunt gentis dominationem Ubiorum a Suevis ad gallicam Rheni ripam depulsorum, in quorum terminis depost Marcus Agrippa civitatem[25]) Agrippinam sui nominis condidit ad Sicambrorum conatus et deprædationes ab Ubiis removendas.

Eodem quoque tempore C. Jul. Cæsar, ut subjectos sibi Batavos in fide conservaret atque à Sicambrorum, alteram Rheni ripam incolentium, molestiis et incursionibus[26]) defensaret, castellum construxit munitissimum in prima Rheni sectione. Id[27]) prius Vada, nunc vero Lobet nuncupatur. Asserit denique Julius in suis commentariis quod Vada locus est, ubi primum Rhenus a se Walam evomendo[28]) rejicit et paulo infra Issulam disterminans[29]) nobilissimas Batavorum insulas efficit et sequestrat.[30])

Theodoricus Cliviæ præfectus ultimus, imperante Constantino, armis et virtutibus[31]) refloruit ao. dni. 655. Genuit vero ex Beatrice, filia clarissimi comitis Tei-

---

[20]) pene fehlt in H. und D. — [21]) ripis B. 2. — [22]) hodie fehlt in H. und D. — [23]) perfidia B. 2. — [24]) Richardus H. und D. — [25]) civitatem fehlt in H. und D. — [26]) concursionibus, H. conversionibus, D. — [27]) quod B. 2. — [28]) emovendo H. und D. — [29]) determinans, H. und D. — [30]) et sequestrat fehlt in H. und D. — [31]) Virtute, H und D.

sterbandiæ,[32]) filiam unicam Beatricem, Heliæ, primo Clivensi Comiti desponsatam. Fuit etiam Neomagensis castri dominus, in quo[33]) Beatrix, ipso defuncto, à vicinarum gentium proceribus molestata plurimum, Heliam militem a Theodosio imperatore sibi destinatum, maritum suscepit; cumque in obeundis regnorum negotiis prudentissimus esset, armorum quoque exercitatione clarus haberetur, a Dagoberto Francorum rege a consiliis ordinatus, potissimas cum illo expeditiones bellicas explevit, maxime in Wiltenses (nunc Trajectenses) qui a Julio Cæsare[34]) cum Slavis depulsi, regionem maritimam usque in Batavos, fugatis incolis occupaverant. Hæ denique gentes ad ulteriora progredientes, destructa civitate Anthonina, ab Anthonio quodam Romano haud longe a Rheno condita, Batavorum insulas, Phrysiam, Sicambrorum quoque et clivensium Ursinorum agros, assiduis quasi incursionibus et deprædationibus vexare consueverunt. Constructa etiam alia arce, quam ab ipsis Wiltenborch appellarunt,[35]) cumque à diversis Romanorum imperatoribus armis sæpe coërciti, cæsi atque retroacti existerent, neque sic a solito deprædandi officio cessarent, postremo per Dagobertum Francorum regem, principem bellicosissimum, Slavi et Wiltenses variis attriti prœliis cum castello Wiltenborch penitus sunt excisi, trucidati et ad alias regiones dispersi. Qui et mox, Rheno trajecto, alteram exstruxit urbem, quæ a trajectione fluminis Trajectum hodie nominatur, ubi et sedem episcopalem statuit. Accidit hujus gentis exstinctio a. 656.

Ao. dni. 677 a sancto Ecberto Eboracensi archiepiscopo[36]) ex Britania[37]) destinati sunt ad Germaniam inferiorem verbi divini prædicatores disertissimi, omni scientia et sanctitate[38]) conspicui, in sermone quoque et opere præpotentes, utpote Wilebrordus, Suibertus,[39]) Wig-

---

[32]) Die Handſchrift H. hat gewöhnlich Deisterbandiæ. — [33]) in quo fehlt in B. 1. — [34]) è Britannia B. 1 und 2. Wohl ein irriger Zuſatz, wie auch von einer ſpäteren Hand ad marg. in B 2. bemerkt worden. — [35]) nuncupaverunt B. 1. und 2. — [36]) primo B. 2. — [37]) sive Anglia B. 1. und 2. — [38]) virtute et sanctimonia, H. und D. — [39]) Swiebertus, B. 1. Suicbertus, B. 2.

bertus, Achas, Wileboldus, Winebaldus, Lebuinus, Werenfredus, Marcellinus, Adelbertus et duo Ewaldi regis filii; omnes presbyteri erant, praeter Adelbertum levitam. E quibus quidam in episcopos, apostolos et praedicatores Germanorum a Deo et sede apostolica ordinati, in diversas se regiones dividentes, maximum animarum fructum producentes, varias gentes idololatras, relictis simulacris ad Christi fidem converterunt. Eadem tempestate Pippinus de Harstell, Brabantiae dux et domus regiae major, devictis Saxonibus et Phrysiis ecclesiam in Wiltenborch sive Trajecto construxit eo in loco, in quo Dagobertus Francorum rex sacellum s. Thomae apostolo olim erexerat, quod hodie inter ecclesias Salvatoris et s. Martini cernitur. Tanti quippe ducis et patroni authoritate et potentia freti sanctissimi Britones, Germanorum apostoli, intermissum tantisper praedicationis officium ob tyrannorum rabiem, iterum resumentes, in omnes se regiones sparserunt. Nam s. Suibertus, episcopus in Anglia ordinatus, Trajectum remeans cum Werenfredo presbytero, civitatem Durstat (nunc Wyck) in Rheni ripis sitam, tum maximam[40]) verbo praedicationis illustrare cœpit a. D. 695; sed a Jovis flamine incarceratus, nocte ab angelo solutus, Trajectum regreditur, inde in vico Hagenstein trans Rhenum, evangelium Christi edocens, cum Gisbertum quendam à nativitate cœcum ad fidei robur illuminasset, crucis[41]) signo omnes mox credentes baptizati sunt, deorum delubro in ecclesiam consecrato. Dehinc nobilissimum Teisterbandiæ comitatum, paulo post ad Clivenses devolvendum, nec non et Batavorum insulas prædicando, infirmosque curando percurrens, ad christianae fidei veritatem universos pellexit, idolorum fanis vero deo consecratis, utpote in Arckell, in Zantwick, in Hoernar, in Schonrevort, in Arthuis, in Aldenborch, in Gyssen, in Ryswick, in Wordrigen, in Malsen, in Almkerck, in Arkum et in Auesaet.[42]) Cumque Suibertus ecclesiam in Malsen, super Linge fluvium sitam deo consecraturus esset, Splinterus,[43])

[40]) maxime, H. und D. — [41]) cujus, H. — [42]) Aresraht, H. und D. — [43]) Sylvilorus, H. und D.

Gunteri de Adigen præfecti in Durstat filius,[44]) Rhenum transiens, quatenus consecrationis ritus conspiceret, submersus aquis obruitur usque in crastinum.[45]) Cujus funus aquis[46]) detractum et a patre[47]) Gunthero dei electo Suiberto praesentatum, oratione praemissa, vitae restituit et saluti; quo viso Guntherus praefectus cum civitate Durstatensi, omnique circumjacenti regione, christianam amplexus est fidem, deorum aris et templis undique demolitis. Suibertus siquidem episcopus ad superiora progressus, S. Wilibrordum primum Trajectensem Archiepiscopum, Romae ordinatum, apud Embricam sibi a. 697[48]) obvianteni, ingenti gaudio excepit, a quo cum sex aliis praedicatoribus ad Westphaliam directus,[49]) in Mimigardo vico (nunc Monasterium) Christi Evangelium signis et verbis praedicans. Ubi cum nobilem viduam a podagra curasset, domum illius amplam dedicavit s. Paulo apostolo, incolis ad Christi fidem conversis. Inde Brunswick et Bilefeldt civitates, pluresque villas, cum plebis multitudine ad catholicam perducens[50]) fidem, tandem et Bructeros (nunc Montenses et Ravensbergenses) miraculorum et prodigiorum excellentia commotos, evangelio Christi subdidit cunctis incolis baptizatis. Quibus expletis s. Suibertus a Plectrude regina, Pippini uxore et Annone[51]) Coloniensi episcopo insulam caesaream prope Dusseldorp impetrans, ecclesiam sibi cathedralem locavit, collegio ibi fundato. Deinde gentes vicinas verbo vitae respargens, christianas reddidit scil. Essendienses, Duisburgenses, Dinslakenses, Wesalienses et Tremonienses. Tandem post ingentia sanctitatis opera s. defecit Suibertus, in Werda caesaris sepultus ao. 717.[52])

Helias de Graell miles, primus Clivensium Ursinorum comes creatus est a Theodosio imperatore, in cujus

44) de Adigen præfecti frater in Durstat flumen Rheni transiens. D. 45) aquis usque in Inastiamum. H. und D. — 46) apud. H. und D. — 47) fratre. D. — 48) Die Jahrzahl fehlt in B. 2. H. und D. — 49) profectus. B. 2. — 50) reducens. B. 1. und 2. und H. — 51) Agilolpho, iſt in B. 1. corrigirt. Agilolph ſaß auf dem cölniſchen Stuhle von 712—717. Seiberz Quellen I, 170, Note 17. — 52) Hier fehlen in der Handſchrift B. 2. zwei Blätter; ſie fährt fort im Leben Diedrichs mit den Worten: reliqui viciniores.

exercitu tribunitiam potestatem habuit ao. dni. 714, princeps ob excellentes animi corporisque dotes omni laude condignus, si virtutum insignia, si morum venustatem, si rerum bellicarum experientiam crebrasque in bellis partas victorias aequa dignemur lance pensitare; quique ex nobilissima ac formosa Beatrice, unica Theodorici posterioris Cliviae praefecti filia, sibi ab imperatore concessa uxore, tres suscitavit filios, a paternis virtutibus minime aberrantes, Theodoricum scil. Godefridum et Conradum, quos tandem Caroli Martelli, Austrasiae et Brabantiae ducis opitulatione quam plurimum magnificavit. Nam Godefridum priorem Lossensem instituit comitem et Conradum primum Hassorum [53]) designavit Landgravium. Ceterum cum Helias comes ad bella erat doctissimus essetque *nobilissimus* copiarum ductor, a Carolo Martello memorato in comilitium assumptus, copiisque praefectus, gravissimas cum illo expeditiones perfecit et primo in Dagobertum Francorum regem et Radbodum Phrysiae ducem Carolo insidiantes, quos ipse trina congressione devictos, dignitatibus spoliavit Carolus Martellus. Ea siquidem victoria animatus, Rheno transmisso, Saxones, Suevos, Batavos [54]) maximis praeliis defatigatos, reddidit tributarios. Comperto autem quod Saraceni, transito Pyrineo [55]) monte Guasconiam et Galliam crematido, praedando, caedesque hominum conficiendo percurrerent, pluresque urbes claras intercepissent, maximis illuc itineribus properans, conserto cum Abiramo Saracenorum duce prælio admodum sanguinolento, 375,000 ex illis trucidavit Carolus, mille quingentis christianorum desideratis. Dehinc pacata Gallia et Aquitania sibi subjugata, in Ratbodum Phrysiae ducem aemulum belli procinctum [56]) movens, Phrysones ne dum armorum vi subegit et ad tributa pendenda compulit, sed et christia*nam* fidem amplecti coègit, [57]) ducemque Ratbodum *bello victum*, secum in Galliam pertraxit. Cumque Ratbodus iste ad praedicationem Senonensis episcopi ad fidem conversus aquis salutaribus baptizandus pedem intinxisset, requisivit ab astan-

[53]) Hasborch, H. und D. — [54]) Bavaros, H. und D. — [55]) Pyrinto, H. — [56]) fellicinctum, H. — [57]) curavit, H. und D.

tibus: an ex suis progenitoribus plures essent apud inferos quam in cælo? responsoque accepto, quod omnes essent in inferno, eo quod gentiles, retracto pede et rejecta fide ait: melius ero cum pluribus quam cum paucis et nullis. Sicque a dæmone ludificatus, tertia post die miser obiit, elusas inferni pœnas perpetue [58]) percepturus. Carolus siquidem ex Phrysia regressus, audito [59]) Burgundorum Visigothorum atque Sarazenarum simul conspirantium rebellionem, nec non et Galliarum invasionem, coactis ex Longobardis, Gallis et Germanis pugnatorum copiis selectissimis, eo contendens, interceptas ab illis urbes recuperavit, belloque cum Saracenis et Gothis conserto victor evadens, ad internecionem quasi omnes cecidit. Inde Visigothos et Alanos [60]) ex citeriori [61]) Hispania et Gallia omnino exturbavit et delevit, qui ab annis trecentis plurimas Europæ provincias locustarum more corroserant. Moritur is princeps bellicosissimus ao. 741, in sto. Dionysio apud Lutetiam Parisiorum tumulatus.

Eadem tempestate s. Willebrordus nobis Brito primus ecclesiae Trajectensis archiepiscopus, scientia et sanctitate clarissimus, hæc reddit sæcula clariora. Nam cum Bonifacio et Suiberto verbo vitæ et sanctum Christi Evangelium disseminavit per Phrysiam, Hollandiam, Bataviam, Brabantiam, Westphaliam atque Lotharingiam nedum verbis, sed et signis ac portentis, qui et ope ac opibus Pippini et Caroli Martelli, Brabantiæ et Austrasiæ [62]) ducum, plurimas in his regionibus ecclesias, capellas ac probatissimorum collegia canonicorum ordinavit et erexit in Trajecto et Hollandia ac Westphalia. Inter cetera autem duo collegia fundavit, vnum in Epternaco diœcesis Treverensis, ubi requiescit; aliud in Embrica super Rhenum, villa egregia, quam et capitulo ex integro donavit; ubi olim canonicorum authoritas tam in temporalibus quam in spiritualibus prævaluit, juraque et justiciam per judicem ipsorum dabant, verum postea illustrium

---

58) perpet. fehlt in H. und D. — 59) ob, H. — 60) et Alanos fehlt in H. und D. — 61) ulteriori, H. interiori, D. — 62) Austriæ, H. und D.

dominorum adjacentium molestationibus, damnis atque injuriis permoti, Ottoni Gelriæ comiti sese subdedere in temporalibus duntaxat et a Gelriæ et Zutphaniæ comite devoluta est villa Embricensis ad Adolphum primum Cliviæ ducem, qui vallo et muris eam circumcingens, è villa civitatem reddidit. Ad cujus rei memoriam civitatis Embricensis judex a duce [63]) decretus, in festo omnium sanctorum scutum vetus [64]) aureum, summo imponit altari ducis loco. Eodem ferme tempore Berturus de Clivis, comitissæ Beatricis nepos, monachorum cuculla assumpta, Abbatiam in Stiedt [65]) construxit, sancto viro Adroaldo fundum opesque tribuens, quæ hodie dicitur sancti Bertini, armis Clivensium perfungens.

Theodoricus comes Clivensis et Teisterbandiæ secundus, annis præfuit viginti et quinque, Theodosio et Constantino imperantibus, vir deo et ecclesiæ devotus, liberalis, clemens, magnificus atque in bellis victoriosus; cui ob singulares naturæ dotes et patris Heliæ merita, Carolus Martellus, Brabantiæ et Austrasiæ [66]) dux, Idelam neptim, Hannoniæ comitis filiam, uxorem dedit, ex qua Reinoldum successorem genuit, filiamque Idam illustri de Cuick comiti nuptam, mortuo denique hisce diebus Teisterbandiæ comite absque liberis, Theodoricus Cliviæ comes comitatum hunc nactus est a Carolo Martello, nedum jure dotis cum conjuge sed et hæreditaria matris suæ successione, cujus quidem comitatus clarissimi termini tum Rheno, Wala abque Mosa veteri claudebantur, ubi hodie locantur insignia dominia de Huisden, de Altena, de Arckell, de Bueren, de Vianen, de Culenborch, Tielrewerdt atque Bomelrewerdt. [67]) Ea tum conditione adjecta, quod Cliviæ comes in tempore, Tajectensis ecclesiæ esset vasallus, eumque comitatum a Trajectensi episcopo in feudum reciperet. [68]) Erat quippe ecclesia illa olim tantæ dignitatis et reverentiæ, quod a nonnullis Francorum regibus et imperatoribus, principes aliqui viciniores [69])

---

63) jure, H. und D. — 64) vellus, D. — 65) Styndit, B. 1. — 66) Austriae, H. und D. — 67) Trelceront atque Bonclereit D. Beide fehlen in H. — 68) recipere tenealur, B. 1. — 69) Mit aliqui viciniores fängt B. 2. einen neuen Satz an.

illius episcopo decreti essent vasalli, tutores atque officiales. Nam præpotens dux Brabantiæ dictus[70]) erat dapifer, comes Hollandiæ marschalcus, comes Clivensis camerarius, comes Gelriæ venator, comes a Cuyck pincerna, comes a Benthem janitor et comes a Gœre[71]) armiger. Ceterum decrescente paulatim episcoporum pietate et religione, excrescente autem pompa et elatione, idcirco et cepit horum principum devotio et reverentia erga patres[72]) spirituales episcopos pedetentim decrescere ac tandem omnino exspirare. Quapropter armis libertatem venantes, excusso episcoporum jugo, imperio[73]) sese subdiderunt. Porro Theodoricus Cliviæ comes bellica attulit subsidia Pippino gnavo,[74]) Caroli filio, adversus Griffonem germanum suum decertanti, qui vitam sibi et principatum auferre nitebatur. In Saxonum quoque et Phrysonum debellatione Pippino adfuit, qui tributa a Carolo patre imperata dare[75]) recusabant. Is denique Pippinus gnavus[76]) corpore et modicus, verum prudentia, virtutibus, rerumque gestarum amplitudine maximus, vniversa patris dominia sortitus, rex quoque Francorum decretus est per Zachariam papam, Gallorum proceribus consentientibus ao. dni. 751. Pippinus vero, regno Francorum potitus, illico ad cultus divini exaltationem, bina in Coloniensi provincia collegia erexit,[77]) unum in Pruma Eiffliæ, aliud in Cæsaris insula prope Dusseldorp s. Suiberto Germanorum apostolo dicatum. Insuper inductione s. Bonifacii Moguntinensis et Trajectensis episcopi, superbissimum in Fulda monasterium instituit, cujus abbas hodie est potens valde, multa bellatorum millia imperatori destinare obligatus. Aquitaniam quoque, octennali bello edomitam, Francorum regno subdidit; sicut et Saxones et Bavaros subegerat. Moritur ao. 769 apud patrem Carolum Parisiis tumulatus. Ao. vero dni. 737 Wilibrordo Trajectensi episcopo patribus apposito, Bonifacius Brito, Maguntinensis archiepiscopus, eidem successit; vir omni virtute et

---

70) dictus, H. und D. — 71) Boere, D. — 72) fratres, D. — 73) Imperatorio, B. 2. — 74) Quano, D. grano H. — 75) imperata pendere, B. 2, sibi indicta pendere, H. und D. — 76) granus, H. — 77) bina — erexit ditavitque collegia, B. 1. und 2.

sanctitate refulgens, qui ubi Hassiam, Thuringiam et Franconiam prædicando apostolorum more percurrisset, pluresque episcopatus, collegia et ecclesias instituisset, ad partes[78]) conversus inferiores, Sicambris, Batavis atque Hollandis evangelium Christi verbis et signis prædicavit, collegium quadraginta canonicorum Trajecti in s. Salvatore ordinavit; cumque in Phrysia verba vitæ, fidemque catholicam annunciaret, apud Dochem[79]) oppidum, glorioso coronatur martyrio, una cum Rabbodo episcopo, tribus presbyteris, totidem diaconis et aliis triginta viris ad fidem conversis ao. dni. 755, cujus corpus sacrum ad Fuldense monasterium delatum, ingenti veneratione[80]) ibidem conservatur, aliorum vero funera, partim in Dochem, partim Trajectum devecta, in s. Salvatoris templa recondita leguntur.

Reinoldus Cliviæ comes et Teisterbandiæ tertius, annis præsedit undecim, temporibus Leonis imperatoris, tantarum certe virtutum et gratiarum princeps, ut nihil sibi deesset ex his, quæ optimi principis decorant majestatem et magnificentiam. Genuit autem ex filia nobilissimi comitis Ardeniæ (nunc Limburgensis) Lenonem[81]) successorem. Ea quippe tempestate Dani et Nortmanni, maris ac terrarum clarissimi prædones atque vastatores, ingenti navium classe mare trajicientes, Phrysiam universam ferro flammisque devastarunt, hinc in Hollandiam classe delati, omnem illam regionem, oceano incumbentem, miserrime depopulantes, Trajectum armis ceperunt[82]) urbe quoque incensa ac[83]) pene eversa, in Batavos procinctum moventes et universa circumquaque demolientes, ad Neomagum usque prædabundi processerunt, sed Reinoldo Clivensi comite, ceterisque Germaniæ et Galliæ proceribus ad arma volantibus ipsisque obviantibus, retrocedere et ad sedes remeare proprias coacti sunt, prædis onusti, sed[84]) gentibus devictis tributo prius imposito. Ceterum Trajecto, ut diximus,[85]) a Danis pene

---

78) patres, H. — 79) Dachum, H. und D. — 80) ingenti veneratione fehlt in H. und D. — 81) Lovonem, B. 1. nomen, B. 2. — 82) expelunt, H. — 83) incensa ac fehlt in B. 2. — 84) quoque ſtatt sed, B. 2. — 85) ut diximus fehlt in B. 2.

exciso, Gregorius episcopns Daventriam se contulit, vidensque fidem catholicam a suis prædecessoribus hinc inde plantatam, labefactari atque in deterius verti, missis denuo prædicatoribus, utpote Lebuino, Marcellino et Williboldo, sanctis Dei sacerdotibus, evangelium cum fide recta vacillantibus et nondum bene credentibus prædicari curavit, a quibus præter ecclesias et capellas diversis in locis erectas, duo fundata sunt collegia nitida, unum in Daventria, ubi s. requiescit Lebuinus, aliud in Zutphania comitatus Zelemensis,[86]) in quo Wiliboldus summo habetur in pretio,[87]) Marcellinus vero in Olden Zeell, cum s. Pachelmo episcopo, ab incolis veneratur.

Sequitur nunc expeditio Caroli magni germanica, diuturna et difficilis, lectu jucunda.[88])

Lono[89]) comes Clivensis et Teisterbandiæ quartus, annis rexit viginti, Leone quarto et Constantino sexto imperatoribus. Princeps singulari prudentia et rerum experientia præclarus, totusque virtuosus, usque adeo, quod Carolus magnus Gallorum rex, hunc plurimum veneraretur et in obeundis regni negotiis crebro perfunctus sit, quare et Adelheidam, Sigiberti Aquitaniæ ducis filiam, consanguineam, Lononi assignavit uxorem, ex qua Joannem protulit successorem. Ipse in monte Joachimo haud longe à Clivis, oratorium cum capella construxit in loco, ubi Eremita quidam in silvis latitans,[90]) eremiticam agebat vitam, Bedberch nuncupatam et[91]) longo post, monialibus ordinis præmonstratensis, constructo ibi monasterio, concessum extitit. Cumque Lono Comes armorum industria plurimum valeret, a Carolo magno Gallorum rege et tandem imperatore, in comilitium assumptus, plurima cum illo prælia adversus diversas gentium nationes confecit, maxime in Saxones sibi viciniores et sæpe infestos. Ceteri denique principes, Caroli magni cooperatores in gravissimis ab eo peractis expeditio-

86) Zoetriensis, D. — 87) honore, B. 1. — 88) Die Ueberſchrift fehlt in B. 1. H. und D. — 89) Cono, H. und D. — 90) latitans fehlt in B. 2. — 91) quod, B. 2.

nibus, hi fuerunt: Rolandus Cenomanensis,[92]) Olivernus Gebennæ comites ac nepotes, viri fortissimi et ad bella doctissimi, Engelinus[93]) quoque Aquitaniæ, Naaman Bavariæ, Ogerus Daciæ, Gauserus Guasconiæ, Arastaginus Britaniæ, Samson Burgundiæ, Garinus Lotharingiæ et Guldebaldus Phrysiæ duces; Galienus Nanctensis, Lono Clivensis, Hageno Trojæ minoris[94]) nunc Xancten comites,[95]) barones et militares, quorum exercitus maximus, telluris spacia[96]) duarum diætarum præoccupans, fontes et stagna epotavit. Saxoniam quippe Carolus cum selectissimo illo exercitu invadens, post villarum exustionem arciumque[97]) multarum eversionem et potissimam vulgi stragem, Arisburgum, (quod est Meersberch) civitatem munitissimam armorum vi capiens diripuit, deinde Hermetis campum sive Hermesfelt, natura loci inexpugnabilem et Saxonibus celeberrimum locum, armis occupavit, ubi erat templum omnium Saxoniæ delubrorum famosissimum[98]) atque exquisitissimum,[99]) in quo colebatur Hermetis statua, quatuor habens vultus, Martis scil., Mercurii, Herculis sive Hermetis et Appollinis, auro, argento, lapidibus pretiosis et clenodiis undique circumcincta, quæ omnia Carolus militibus donans, dejecit atque exussit.[100]) Dehinc castrum Syborch super Ruram, haud longe a Tremonia situm, maximis viribus *expugnans*, ad Visurgim sive Weseram flumen cum *copiis pervenit*, ubi universas Saxonum vires et copias *paratissimas ad bellandum* comperit, regis transitum *impedire satagentes*. Cruentissimo igitur ibi[101]) prælio conserto victor effectus, Carolus rebelles et fœdifragos Saxones, denuo victos sub jugum misit ac tributarios reddidit, christianam quoque fidem derelictam resumere coègit[102]) ao. 773. Quibus ita compositis, Carolus rex magnus a Papa Adriano in Italiam cum exercitu invitatus,[103]) Desiderium Longobardorum regem, ecclesiæ infestissimum hostem, regno

92) Leoniacensis, H. und D. — 93) Gielmus, B. 2. — 94) majoris, H. und D. — 95) aliique plures, B. 2. — 96) spatium, B. 2. — 97) armorumque, H. — 98) famosissimum fehlt in H. und D. — 99) os habens et vultus, H. und D. — 100) exussit, D. — 101) Cruentissimo ibi fehlt in B. 2. — 102) coepit, D. — 103) accitus, B. 1. und 2.

et vita privavit, post congressiones gravissimas cum Longobardis exactas. Ceterum dum hæc geruntur[104]) in Italia, Saxones, priscorum juramentorum et promissorum immemores, validissimo conflato exercitu, Caroli duces et præfectos cum Francorum præsidiis, ex civitatibus et castellis expulerunt, Gallos ubicunque locorum repertos trucidantes, universa ferme dejecta[105]) et amissa recuperabant. Porro Carolus rex, Saxonum rebellione comperta, compositis mox Italiae rebus, Germaniam cum copiis repetiit, ubi duo perpulchra palatia erexit, unum in Ingelheim alterum in Neomago, quod a C. Julio Cæsare quondam erectum, jamque vetustate attritum, à novo restituit; cujus quidem loci amenitate delectatus, quamplures ibi exegit æstates,[106]) quadragesimas festivitates atque consilia procerum convocavit. Fortissimis inde recollectis copiis, animoque ferociori agressus Saxones, ferro, flammis et cædibus universa demoliens, Syborch et Arisburgum forti brachio recuperavit, commissoque in Bruinsberch[107]) super Weseram, atrocissimo cum Saxonibus bello, gloriosa admodum victoria potitur Carolus; nam Saxones quasi universos, aut cepit aut interemit aut patria pepulit, deinde Brunswick civitatem amplissimam, crebris oppugnatam assultibus[108]) intercipiens, civibus vita et rebus donatis, omnes fidem christianam accipere curavit. Angrivarii interea Francorum castrum in villa Lubeca prope Mindam impugnantes, fusi cæsique sunt omnes. Quibus ita exactis, Adrianus papa, a Longobardis iterum molestiis et injuriis affectus, Carolum cum suis copiis in Italiam sedulis precibus movere compulit,[109]) qui illico præsentem se cum exercitu fortissimo exhibens, reliquias regni Longobardorum penitus extirpavit,[110]) quod 204 annis perstiterat. Carolo siquidem in Italia res ecclesiæ procurante,[111]) Wedekindus[112]) Angariæ dux potentissimus, Saxones in fide vacillantes denuo rebellare facit, collectoque exercitu copioso, Caroli duces et Francorum

---

104) agerentur, B. 1. und 2. — 105) direpta, D. — 106) Erexit ecclesias, D. erexit æstates, B. 2. — 107) Bronswick, H. und D. — 108) assultatibus, B. 2. — 109) perpulit, B. 1. und 2. — 110) exturbavit, H. — 111) pertractante, B. 1. und 2. — 112) Wedechinus, B. 1. und 2.

præsidia impugnans, Arisburgum cepit et diruit et ad Rhenum movens, omnes provincias Gallis faventes, a Tuitio [113]) usque Confluentiam ascendendo, miserrime depopulatus est, cæde hominum edita potissima, nec ætati, nec ordini parcens. Quo comperto Carolus mox [114]) copiis undique resarcitis et augmentatis, in Saxones procinctum movens et congressione in Lippenspronck [115]) cum illis facta, victor effectus, uno simul impetu omnes fudit et fugavit. Inde Arisburgum dirutum restaurans, castroque Vechteleren in Lippiæ ripa exstructo, pascha in Neomago [116]) celebravit; quo devotissime expleto, totis bellatorum copiis in Wedekindum contendens, ipsum in Baldewolt, villa super Amisum [117]) sita, perjurorum Saxonum caterva vallatum comperit; ubi concurrentibus in unum aciebus, dubio et desperato marte diu pugnatum est, donec deo cooperante, Saxones superantur innummeris enecatis. Anno sequenti Wedekindus recuperatis viribus ex Saxonibus et Nortmannis, Bocholdiam usque cremando et prædando progrediens, fideles undique lacessit. Carolus vero è Neomagio et Clivensi arce, cum exercitibus suis movens, Rhenoque trajecto, ubi Lippiam in se recipit, Wedekindo in [118]) Hamminckell [119]) haud longe a Wesalia occurrit, consertoque invicem prælio acerrimo, victoria iterum potitus, Saxones in fugam vertit et ad Weseram usque persequitur, cæde hominum potissima edita Tunc Carolus in Bardewyck Saxones convocans, consilium tenuit, dataque reis venia, infinita Saxonum, Phrysonum, Wendorum et Slavorum multitudo nondum baptizata, sacri fontis undas percepit. Quibus episcopos et presbyteros, satrapas quoque et comites designavit, per quos deinde in fide christiana imbuerentur atque a malis arcerentur [120]) consuetis. Cetcrum [121]) ao. 780 Wedekindus Angariæ dux, copiis instauratis, Saxones et Francos Carolo deditos et subjectos, infestare flammis et cædibus cepit, ad Thuringiam usque vires extendens. Caro-

---

113) Luilig, H. — 114) rex, B. 2. — 115) Lippens bronk, B. 1. — 116) In Neomago fehlt in D. — 117) Amasim, B. 1. und 2. — 118) in H. und D. et ſtatt in. — 119) Zur Seite iſt bemerkt: alias Amalungo, H. — 120) coercerentur, H. — 121) Iterum, D.

lus vero rex, aliis præpeditus negotiis, tres comites cum structissimo exercitu, adversus Wedekindi castra destinavit, qui in valle solis[122]) prope Mindam, Wedekindi copias viriliter[123]) impetentes, primo victi erant, sed viribus resumptis et animo, in altero bello extitere victores, amissis tum ex suis 20 proceribus cum militibus multis. Ex Wedekindi amicis et conjuratis, quatuor millia et quingenti sunt decollati et suspensi, quorum sanguinem ulcisci volens Wedekindus, gentes exterarum nationum implorat, Germaniam querelis implet, coactoque exercitu potissimo, credentes Saxones et Francos, ubicunque locorum compertos[124]) trucidavit. Carolus quippe rex, ut negotio tandem finem daret, exercitu bipartito unam partem filio Carolo concredidit, alteram sibi reservavit, sicque Saxones orientales et Westphalos simul[125]) impugnantes, congressiones[126]) perfecere in Dechmoet,[127]) villa comitatus Lippiae, in convallibus quoque montis Oeslink[128]) prope Lemgoe, in Haselunen et apud Osnaburgum, in quibus tam pater quam filius victores evadentes, semper ad internecionem usque, Wedekindi acies[129]) deleverunt et ad terras perfugere diversas compulerunt ao. 782. Postremo Hastradus[130]) quidam Westphalus, ope Sicambrorum (nunc Gelriensium) atque Phrysonum, novos Carolo excitarunt tumultus, in cujus occursum a Neomago Wesaliam movens, Carolus transita Lippia, universos solo terrore in fugam vertit; nec amplius auditae sunt Saxonum rebelliones, sed siluit terra universa in conspectu Caroli magni, sicque terminatum[131]) est bellum Saxonum, omnium ab eo confectorum bellorum maximum et diuturnius, nempe quod tam sub ipso, quam patre Pippino atque Carolo Martello, annis duraverat 36. Pace autem Saxonibus data, ad divini cultus promotionem vulgique quotidianam instructionem, Carolus rex decem fundavit episcopatus in utraque Saxonia nova et veteri, utpote Osnaburgensem, Mindensem, Bremensem, Pa-

122) Der Sonnenthael prope Mindam, ſagt eine Marginalbemerkung in B. 2. — 123) audacter, B. 2. — 124) dire, B. 2. — 125) sibi, D. — 126) bellicas, B. 1. und 2. — 127) Delchino et, H. und D. (Detmolb) — 128) Osning, D. — 129) arces, D. — 130) Hastardus, B. 2. — 131) denunciatum, H.

derbornensem, Werdensem, Magdeburgensem, Halberstatensem, Monasteriensem, Hildeshemensem et Hamborgensem.[132]) Wedekindus nimirum Angariæ dux, dei gratia actus, ad Carolum in Paderborna veniens, veniamque admissorum precans et obtinens, baptizari se fecit et ex lupo in agnum conversus, plures fundavit ecclesias, collegia atque monasteria et quanto antea in fidei susceptione fuerat pervicatior, tanto depost in fidei fervore et imitatione erat firmior. Saxonico denique confecto bello, Carolus rex cum universis suis copiis, Thassilonem Bavariæ ducem, Saxonum adjutorem[133]) bello impetens devicit. Inde Slavos et Bohemos, Hunnos sive Ungaros[134]) atque Nortmannos, multis gravissimis attritos præliis subjugavit. Tandem Carolus a Leone papa, clero populoque acclamante, Romanorum coronatur Imperator ao. dni. 802, ab U. C. 1552, Graecorum imperio jam exterminato.

Joannes comes Clivensis et Teisterbandiæ quintus, annis rexit undecim, temporibus Caroli magni imperatoris, princeps summa dignus laude, si in eo clementiam, liberalitatem, bellorum gloriam atque magnificentiam æqua dignemur lance pensare; cui Constantia, Michaelis Græcorum imperatoris filia, Robertum et Balduinum edidit successores. Quo tempore apud Viennam Austriæ urbem, defossum legitur corpus defuncti gentilis, habentis in pectore laminam auream, cui inscriptum erat: Jesus dei filius nascetur de virgine salvator mundi et credo in eum. O! sol sub Constantino et Hyrena iterum videbis me. Hi enim tunc regnabant in Græcia, imperio jam translato ad Germanos. Terribilia quoque in cœlestibus signa apparuerunt. Nam sol diebus 13 lumen suum terræ detraxit,[135]) neque in cœlo visus est; sanguis de cœlis in terram pluit, crucesque sanguinolentæ in vestes hominum ceciderunt. Ceterum Joannes Cliviæ comes, bellica attulit præsidia Carolo magno in Hunnorum exterminatione, recordatus quippe Carolus, quanta olim damna

132) Halberſtadt fehlt in B. 1. H. und D. Münſter in H. und D. — 133) adjutorium, H. und D. — 134) Hungaros sive Magaros, D. — 135) lumen terris retraxit, B. 1. und 2.

et clades Hunni Germanis et Gallis intulerant, maximo coadunato[136]) exercitu, Pannoniam ab illis inhabitatam invasit, ferro et flammis omnia devastans, octennale bellum cum Hunnis gessit. Tandem post varias congressiones cruentissimas[137]) hinc inde peractas, Deo cooperante, horribilem[138]) illorum potentiam ad nihilum redegit, cæsis Hunnis ad internecionem, cum eorum rege Cagino,[139]) terras vertit in solitudinem, quorum reliquias transtulit in Galliam et juxta Ardenniæ sylvam habitare permisit, in regione quæ hodie Hunsruck dicitur. Inde in Godefridum[140]) Nortmannorum regem, Carolus procinctum movit, pro eo, quod Carolo in Hunnos movente, Phrysiæ et Hollandiæ terras classe validissima infestaverat, quem et bello superavit.

Robertus comes Cliviæ et Teisterbandiæ sextus, annis duntaxat quinque dominatus est, Carolo magno imperante, magnarum utique[141]) virtutum et gratiarum princeps, qui ex clarissima Garini Lotharingiæ ducis filia, nullas excitavit proles, sed defunctus fratrem Baldewinum instituit hæredem, de quo ardua quidem bona claraque facinora sperabantur, si quando plures vitæ annos sibi Dii contulissent.[142]) Eodem tempore Ogerus Daniæ et Nortmanniæ rex, qui cum Carolo magno in Syria adversus Saracenos militaverat, ab eodem Syriæ et Judeæ præses institutus, bellum a Carolo inceptum, gloriosissime perfecit,[143]) nam Saracenos et Tartaros multis cruentissimis prœliis defatigatos[144]) e terra sancta et provinciis adjacentibus expulit, universa quoque barbararum gentium regna usque ad solis arborem[145]) obtinuit, quas et christianas reddidit. In Judæa quoque superiori, imperium gloriosissimum super multos reges et duces statuit, cui præfecit Joannem filium regis Phrysonum, ejus nepotem, quem a dignitatis et virtutum præstantia vulgus

---

136) coacto, H. und D. — 137) cruentissimas fehlt in H. und D. — 138) formidabilem, B. 1. und 2. — 139) Cagmo, B. 2. Eagino, B. 1. — 140) Der Name fehlt in B. 2. — 141) denique, H. und D. — 142) constituissent, nec tam mature parcarum deæ vitæ stamen abscidissent. B. 2. — 143) perfecit fehlt in B. 2. — 144) et enervatos, B. 1. und 2. — 145) ortum, H.

Prester Johan h. e. presbyterum Joannem nominavit[146]) cujus semen et posteritas hodie usque regnat, in Christianismo perseverans. Quo etiam tempore Hildeboldus Coloniensis archiepiscopus, primariam et summam s. Petro ecclesiam ædificare cepit, quam sui successores ampliantes perfecerunt, sed nondum plene. — Ao. dni. 802 Carolus Romanorum creatus imperator, nomen et fidem Christi extendere per orbem desiderans, cum selectissimo Christianorum procerum et militum exercitu Syriam petens, expulsis et debellatis Saracenis, christianos ibi cultores reposuit; Inde in Hispaniam movens, exturbatis quoque Saracenis et variis præliis extinctis, eam sibi et christianæ fidei subdidit.[147])

Baldewinus comes Clivensis et Teisterbandiæ septimus, annis præfuit 16, temporibus Ludovici pii imperatoris, qui ex Hildegarda, filia clarissimi comitis Provinciae et magni Caroli ex filio Ludovico nepte, Ludovicum, Everhardum atque Robertum suscitavit. Obtinuit autem a Ludovico progenero et imperatore, Tuentiae[148]) dominium, in quo aedificavit oppidum Oldenzell, ex villa non modica civitatem constituens, ubi et canonicorum collegium celebre fundavit, sanctis Dei Plechelmo et Marcellino dedicatum, cujus etiam praepositus archidiaconatum in ecclesia Trajectensi sortitus est. Hic nimirum Baldewinus comes, cum nonnullis Gelriae et Germaniae proceribus, Aquisgranum petiit, quando quidem sacri Caroli magni corpus per Leonem papam, pluresque episcopos et praelatos, in ecclesia s. Mariae sepultum exquisitissime extitit, ao. dni. 815, aetatis suae ao. 72, regni Francorum 46, imperii vero 14; cui in imperio et regno Francorum[149]) successit Ludovicus pius filius, quem vivens[150]) adhuc coronari curaverat per Hildeboldum archiepiscopum. Qui quidem Ludovicus pius imp. ob gravissima clero et

---

146) Præsthan, H. wo am Rande ſteht: Priester Johannes. — Prestian hoc est presbyterum Johannem nominavit B. 2. — 147) Die Worte: Christianos ibi cultores — debellatis, fehlen in D. — 148) Tuyntiæ, B. 2. Theuniciæ, H. Theuringiæ, D. — 149) Die folg. Worte bis successit fehlen in H. und D. — 150) vivens fehlt in D.

populo[151]) imposita onera et exactiones, connivente[152]) Papa Gregorio et regni proceribus, a filiis suis Lothario et Pippino captus fuit Aquisgrani, atque in vincula conjectus, uxore ejus Judith, malorum satrice,[153]) in monasterium detrusa.[154]) Verum Ludovicus Bavariæ rex, filiorum junior, ope Baldewini comitis Clivensis aliorumque procerum Germaniæ, patrem ejus Ludovicum è fraternis vinculis erutum, Neomagum usque perduxit, ubi venientes ad ipsum filios interceptores et factorum pœnitentes, in gratiam ut pius[155]) pater suscepit; ceteros[156]) vero eorum complices[157]) et conspiratores anathemate damnavit. Quo tempore in Thuringia e terra projectus erat cespes, in longitudine habens pedes 50, in latitudine 14, in profunditate 6, sine hominis adminiculo ad spatium unius miliaris.

Ludovicus comes Clivensis octavus, annis solum quinque principatum tenuit, temporibus Ludovici pii imperatoris et nepotis, cui ex hæreditate materna comitatus Provinciæ devolutus erat, sed immatura praeventus morte non obtinuit, absque uxore et liberis defungens; de quo, ob eximias animi corporisque dotes, ardua siquidem bona sperabantur, si hunc vivere diutius licuisset. Moriens[158]) autem Everhardum fratrem instituit hæredem, qui tamen in vita existens, quamplurima pauperum xenodochia, oratoria quoque et capellas hinc inde erexit, largissimas egenis eleemosinas distribuendo.

Everhardus Baldewini filius et Ludovici germanus comes fuit Clivensis ac Teisterbandiæ nonus, praefuitque annis novem, Ludovico pio imperatore[159]) regente, vir deo et ecclesiæ devotissimus, prudens, liberalis et clemens, cui illustrissima Berta,[160]) Ludovici Bavariæ[161]) filia, magnique Caroli consanguinea, Luthardum enixa est successorem et Berengarum Tullensem episcopum, viros certe omni sanctitate refulgentes; ipse cum uxore ac filiis, duo celebria col-

151) et populo fehlt in H. und D. — 152) conveniente, B. 2. — 153) factrix, H. — 154) demolita, H. und D. — 155) prius, H. und D. — 156) exteros, B. 1. H. und D. — 157) complures, H. und D. — 158) Parens, D. — 159) Lud. pio imperante, B. 1. und 2. — 160) Beata, D. — 161) regis, B. 1. und 2.

legia religiosorum fundavit et ditavit, unum virorum[162]) in Wischel prope Kalker[163]) aliud nobilium virginum in Novesio ao. dni. 826, sub Gunthero archiepiscopo Coloniensi, ex qua re liquido constat, Novesium tunc fuisse ditionis Clivensium[164]) cum adjacentibus villis, quod et Marlianus attestatur. Ceterum quia justissimus[165]) erat, contulit Roberto fratri suo juniori et resignavit clarissimum Teisterbandiæ comitatum, cujus quidem climata et terminos superius dimensus sum; qui et à germano Everhardo se in armis et insignibus sequestrans, Clivensium arma non in prato rubeo sed blaveo[166]) depinxit, parvo etiam clypeolo albo intermedio praetermisso. Robertus vero Teisterbandiae comes, ex Cunegunde comitis de Hoy[167]) è Gallia filia, Ludovicum sibi in dignitate succedentem, Robertum primum in Huisden dominum atque Theodoricum primum de Altena dominum, à quibus temporibus diversis quam plurimi processere[168]) domini illustres et militares atque Trajectensis ecclesiæ præsules, qui hunc vastissimum Teisterbandiæ comitatum, in varia dispartitum dominia, nominatim extinxerunt.

Eodem tempore Dani et Nortmanni prædarum et latrociniorum audacissimi, Galliarum direptione haud satiati, ingenti navium classe mare germanicum trajicientes et Albæ fluminis ostia penetrantes, Hamburgum, Luneburgum, Magdeburgum totamque Saxoniam et Westphaliam ad Rhenum usque miserrime devastarunt, nulli parcentes, nec ætati nec ordini; quo tempore s. Anscharius Hamburgensis archiepiscopus, eam sedem ad Bremensem transtulit ecclesiam. Nec quiescentes tantorum perpetratione[169]) malorum Dani et Nortmanni, sed rerum prosperitate elati, Phrysiam rursus et Hollandiam invaserunt, omniaque pristinæ cladi restantia, ferro flammisque depopulantur, optimam sane terram in solitudinem redigentes,[170]) eo quod tributa jam dudum imposita, solvere eatenus distulissent. Ad maritima inde progressi, ecclesiam s.

---

162) Nimirum, H. — 163) Wichsell prope Caller, B. 2. — 164) sub ditione Coloniensium, H. und D. — 165) Illustrissimus, D. — 166) plano, H. und D. — 167) Huc, H. de Gallia, B. 1. — 168) Proceres sese, H. excessere, D. — 169) penetratione, B. 2. — 170) vertentes, B. 2.

Alberti in Egmunda exusserunt, sanctum Dei, Theronem in Uberwick[171]) cum maximo hominum cœtu dire trucidarunt, castrum Romanorum prope Leydam[172]) (Rœmberch dictum) vetustissimum, cum arce Vorborch solotenus everterunt. Phrysones itaque Hollandi et Batavi, recollectis undique pugnatorum copiis, haud longe a Trajecto Nortmannis bellum inferentes, post caedem cruentissimam hinc inde editam, caesi, victi atque intercepti sunt ferme universi a Danis atque Nortmannis, qui ex parta victoria ferociores effecti, Trajectum et Durstat, civitatem amplissimam, armorum vi crebrisque impugnationibus capientes diruerunt, rebus universis spoliatis et hominibus in maxima copia abductis. Accidit clades haec ao. dni. 857[173]) tempore Hungeri Trajectensis episcopi vndecimi; denique nec his malis, depraedationibus et caedibus contentati sunt Dani et Nortmanni, homines certe barbarissimi, sed classe readunata[174]) in Britanniam sive Angliam transmittentes, insulam ferme universam armis vendicarunt; dein Ligeris et Sequanae ostia irrumpentes, plurimas Galliarum civitates et quidem potissimas interceperunt, omnem regionem longe lateque depopulantes, Novetum[175]) scil., Andegavium,[176]) Turonam, Parisios, Tongrium, Leodium, Trajectum[177]) aliasque plures. Porro Ludovicus et Carolomannus Francorum reges, Rudolphus Burgundiae et Richardus Aquitaniae duces, atque Robertus comes Parisiensis, innumera Gallorum[178]) colluvie, Nortmannis bellum intulerunt, victoriaque potiti 15,000 hostium trucidarunt. Denuo congredientes Galli et Nortmanni, post diuturnam et cruentissimam pugnam fusi et caesi sunt, Galli quasi omnes. Carolus autem crassus imperator, ex Italia Galliam petens, recollectis undequaque pugnatorum copiis, Nortmannos et Danos bello adorsus[179]) retrocedere compulit, cernens quoque illorum animos esse crudelitate et barbarie efferatos, nec facile sem-

---

171) Iheronem in Albertwick, D. sanctum dei Iheronum in Nortwyck, B. 1. — 172) Leidam, D. Lindam, H. — 173) 860, D. — 174) præparata, H. und D. — 175) Nanetum, B. 1. — 176) Antegwinam, D. Antegenium, H. — 177) Statt Trajectum hat die d. Hschr. supra Mosam. — 178) et Germanorum, D. B. 1. und 2. — 179) adversus, H. und D.

per [180]) armis cohibendos, pacis cum illis fœdera stabilivit, sic tamen, quod baptizati christianitatis vitam assumerent, essentque contenti provinciis, ipsorum principibus assignandis. Rolloni enim cum Lotharii regis filia assignavit Neustriam inter Somniam [181]) et Sequanam, quae Nortmandia nunc dicitur, Gilloni comitatum dedit Blesensem et Godefrido Phrysiam; cumque Phrysones Godefrido principatum detrectarent, ipsumque refellerent, ad arma ventum est, consertoque in Velva praelio ancipiti, post multorum caedem, Godefridus cum Nortmannis cecidit ao. dni. 886. Pacificati denique eo modo [182]) Nortmanni, modico quieverunt tempore, nam Arnulpho imperante, cum denuo Gallias invaderent, Burgundiam quoque et Lotharingiam depopularentur, a Gallis et Burgundis armis retroacti, in Brabantiam concesserunt. Arnulphus autem rex, coactis undecumque militaribus, Nortmannos primo apud Leodium, inde circa Lovaniam bello impetitos, tantam ex illis stragem confecit, ut pauci relinquerentur, qui rerum gestarum seriem ceteris referre possent. Multis denique elapsis annis, Nortmanni Italiam penetrantes, Calabriam armis vendicarunt.

Gelriae principatus origo et principes illius. [183])

Gelriae nobilissimus principatus cepit ao. dni. 878 Caroli calvi imperatoris temporibus. Cum enim in paludibus Menapiorum haud longe [184]) a Clevitis et Troja minori distantibus, ingens animal quoddam ad instar Draconis latitans, tam hominibus quam bestiis vim inferret, damna quoque damnis accumularet, compulsi ea necessitate locorum incolae, generosos proceres de Pont [185]) vicinos Richardum atque Lupoldum sedulis sollicitabant precibus, quatenus afflictis contritisque ipsorum rebus opem ferrent, servitutem pro libertatis mercede pollicitantes. Qui nimirum dominandi desiderio accensi, correptis armis animose bestiam invadentes mortiferam, post virulenta admodum certamina eam occide-

---

180) semper fehlt in H. und D. — 181) Bonniam, B. 2. — 182) Eodem anno, D. — 183) et suorum principum, B. 2. — 184) haud longe fehlt in H. und D. — 185) Gent, H.

runt, optatam diu libertatem populo promerentes; quapropter ab incolis in dominos præfectosque assumpti, arcem eo in loco exstruxere munitissimam, quam ab interempti[186]) animalis clamoribus Gelre nuncuparunt. Rectius[187]) tamen reor, Gelrienses non ab animalis hujus clangore Gelræ denominatos, sed a Gugernorum gente, eam quondam regionem incolente; asserit namque Cornelius Tacitus[188]) in historia augusta, quod dum Vocula Romanorum legionum ductor, ad removendam duarum legionum obsidionem, a Batavis apud Vetera (nunc Xanctis) obsessarum, proficisceretur a Novesio, pervenit Geldubam, nunc comitatus Morsensis villam, ex quo loco milites prædandi avidos, in proximos Gugernorum agros destinavit, unde liquet Gugernos locum, ubi hodie Gelria est, inhabitasse.

Wichardus[189]) itaque primus Gelriæ præfectus a Carolo calvo imperatore decretus, annis præfuit 32, cui Gerlacus filius succedens, ex filia Zutphaniæ comitis Godefridum genuit successorem, rexitque annis 27. Porro cepit extunc Gelria præfectura in dies magis excrescere, ampliorem quoque celebritatem induere, non tantum[190]) in divitiis et possessionibus, verum etiam in potentia et armorum exercitiis. Gerlacus denique secundus Gelriæ præfectus, in Danos et Nortmannos cum ceteris Germaniæ principibus belli procinctum movit.

Luthardus[191]) comes decimus Clivensis, annis 43 principatum optime administravit, princeps universarum virtutum et gratiarum ornamentis præclarissimus, tantæque sanctitatis, quod cœlitum catalogo meruerit annotari.[192]) Cui illustrissima Berta, Arnulphi imperatoris filia, Baldewinum peperit succedentem, Rickfridum Twintiae[193]) comitem, Baldewini de Clivis Trajectensis episcopi genitorem. Is unacum Alfrido Hildeshemensi episcopo, nepote, binas religiosorum

---

186) interitu, H. — 187) verius, B. 1. und 2. — 188) Laictus, H. Loricius, D. — 189) Luuchardus, B. 2. — 190) nedum, H. und B. 1. non solum, B. 2. — 191) Luchardus, B. 2. — 192) annumerari, H. und D. — 193) Thuintiæ, D. Tunitiæ, H.

congregationes plantavit, unam virorum in Salenstat, alteram virginum nobilium in Essendia, quarum hodie dux Clivensis præfectus est et conservator, collegium quoque Wischelense[194]) a parentibus nondum perfectum sed inchoatum, ipse ocius consummavit, in quo cum miraculorum gloria[195]) sepultus est cum uxore et liberis. Ceterum Luthardo dominante, illustrissimi Flandriæ et Hollandiæ comitatus exordia sumpserunt. Nortmanni quoque et Dani structissima navium 350 classe transfretantes,[196]) Phrysiam, Hollandiam omnemque regionem maritimam locustarum more demoliebantur, cædibus et rapinis omnia complentes. Inde Walæ fluminis ostia ingressi, universas prouincias adjacentes ferro et flammis devastantes in solitudinem ferme redegerunt, captis et eversis civitatibus: Neomago, Clivis, Troia minori, Asciburgo, Duisborch, Novesio, Bonna,[197]) Andernaco, Confluentia et Treviris, quibus cum Maguntinus et Metensis episcopi cum structissimo germanorum procerum ac militum exercitu in bello occurrissent, post pugnam utique cruentissimam cæsi et fusi sunt Germani, peccatis ipsorum exigentibus. In qua quidem expeditione Luthardus comes, fortem athletam se exhibuit.

Baldewinus comes Clivensis undecimus, annis præfuit 37, temporibus Caroli crassi et Arnulphi imperatorum; princeps singulari pietate, clementia, prudentia, atque militari gloria insignis. Genuit autem ex Mathilde Saxonum ducis filia, Arnoldum successorem, filiamque unam comiti Lossensi nuptam, ex qua Baldewinus processit Trajectensis episcopus, scientia et pietate conspicuus; verum divini cultus quia ardens erat amator[198]) canonicorum regularium collegium ordinavit et erexit in villa Zephelica Duffliæ, quod longe post Adolphus dux Clivensis primus, summo pontifice licentiante, transtulit ad ecclesiam s. Crucis in Cranenborch, quod jam muro, fossa, valloque circumcinxerat ao. dni. 1400.[199])

---

194) Wisihrbense, D. — 195) gratia, B. 2. — 196) transferentes, B. 1, H. und D. — 197) Bruma, B. 2. — 198) amator fehlt in B. 2. — 199) 1440, B. 1.

Baldericus Rickfridi de Clivis Twentiæ[200]) filius et Baldewini nepos, Carolo imperatore sollicitante, Trajectensis ecclesiæ, jam quasi desolatæ, ordinatur episcopus, moribus, scientia et vitæ sanctitate clarissimus et quidem singulariter a Deo Trajectensis ecclesiæ episcopus destinatus, quippe qui civitatem cum ecclesiis a Danis et Nortmannis (ut diximus) devastatam, mox restauravit, muris quoque et fossatis, turribus et propugnaculis fortissime communivit, ne hostibus de cetero facilis pateret ingressus, prædaque fieret. Cumque peculiari in Deum et sanctos ejus devotione moneretur, vigilantissima inquisitione præmissa, reperit corpora Sanctorum Plechelmi episcopi, Rogerii et Vittonis[201]) sacerdotum in Oldenzeel, s. Lebuini in Daventria, s. Werenfredi in Elst, Batavorum sanctorum quoque Adolphi et Rabbodi in Trajecto. Inde Romam petens, sanctorum exuvias ingenti devotione visitans, a Joanne papa XII. corpora sanctorum: Pontiani, Agnetis et Benigni impetravit, secumque deferens, in ecclesia s. Martini Trajectensi summa omnium gratulatione[202]) locavit ao. dni. 866; ante quorum reliquias, post quinquaginta et novem sui præsulatus annos defunctus, sepultus est. Ipse Twentiam[203]) jure hæreditario ad se devolutam Trajectensi donavit ecclesiæ. Eadem tempestate Baldewinus comes Clivensis et Baldericus præsul Trajectensis nepotes adversus Ungaros, Germaniam devastantes, copiosa bellatorum caterva[204]) profecti sunt. Ungari nempe ab Arnulpho imperatore jam pridem ex Pannonia in Moraviam evocati, cum uberes Germanorum agros urbiumque nitorem considerassent, ruptis denuo claustris quibus in Pannonia arcebantur, infinito milite Germaniam invaserunt, Sueviam atque Bavariam devastantes. Ludovicus interim imperator, Arnulphi filius, hostium rabiem non ferens, resarcitis undique copiis Ungaros bello aggressus succubuit, universis quasi Germanis et Gallis trucidatis; quapropter Ludovicus rex, animo et viribus fractus, maxima æris summa pacem et treugas[205])

---

200) Baldewicus Rickfridi de Clivis Thuintiæ filius, D. Tuyntiæ. B. 2. — 201) Victoris, H. — 202) devotione, D. — 203) Tuyntiam, B. 2. Lunitiam, D. Tuitiam, H. — 204) copia, H. — 205) regna, H. und D.

ab ipsis Ungaris coèmit, quibus illico exspirantibus Ungari, rursus Bavariam prædando percurrentes, bis armis repulsi sunt. Tertio autem regressi, copiis adauctis Bavariam, Sueviam, Alsatiam, Lotharingiam, Saxoniam, Thuringiam, Westphaliam omnemque Rheni regionem et littora a Basilea usque in Hollandiam ac Phrysiam, ferro, rapinis et cædibus lamentabiliter vastabant, hominibus ceu bestiis abutentes, carnes edebant humanas et sanguinem humanum[206]) bibebant. Concurrentes itaque Germaniæ principes et episcopi, conflato exercitu equitum, peditumque selectissimo, Ungaris bellum indicunt, factaque congressione cruentissima, peccatis christianorum exigentibus, barbaris cessit victoria, cunctis fere Germanis ad internecionem cæsis, qui et principum quorundam capita palis affixere, verum nocte sequenti cœlestia lumina[207]) videntes desuper clarescere et angelorum concentus audientes, divina virtute exterriti, dimissa Germania Italiam petierunt, consimilia ibi perpetrantes.

Arnoldus comes Clivensis 12, annis regnavit 45, temporibus Caroli, Arnulphi et Henrici imperatorum, magnarum denique virtutum et gratiarum princeps, cui nil defuit in virtutibus, quibus priscorum gloriam non æquaverit. Genuit vero ex nobilissima Adelheida, comitis Zutphaniæ filia, Wichmannum sibi[208]) in principatu succedentem, filiamque Aleidam, Godefrido Gelriæ præfecto desponsatam, quæ Wichardum, Gelriæ præfectum quintum, marito suo edidit. Denique Arnoldus Cliviæ comes opem præstitit efficacissimam Henrico imperatori, in Ungarorum iterata rebellione comprimenda. Qui cum exercitu numerosissimo Hetruriam et Lombardiam miserrime devastassent[209]) ad Germaniam castra moventes, Sueviam, Bavariam, Franconiam, Saxoniam, Westphaliam, omnemque regionem Rheni usque in Phrysiam demoliti sunt, cædibus et rapinis omnia complentes, quibus regressis et ad propria tendentibus[210]) Henricus cæsar, copiis Gallorum et Germanorum structissimis suffultus, bellum intulit haud

206) humanum fehlt in B. 1. H. und D. — 207) luminaria, B. 1. H. und D. — 208) simili, H. D. und B. 1. — 209) devastarunt, H. — 210) revertentibus, H. und D.

longe a Werlen,[211]) multisque hinc inde cæsis, nobilissimum ac principalem illorum principem intercepit, pro cujus redemptione cum plura millia aureorum offerrent, rex spreto auro, novennales impetravit inducias. Interea Henricus civitates et arces eversas instaurat, annonam ubique duplicem asservari jussit, arma et munitiones disponere, omnemque belli futuri apparatum præparari voluit. Treugis nondum exspirantibus, Ungari ad solitum prædandi officium revertentes, Thuringiam et Saxoniam adorsi sunt. Henricus vero imperator, electissimis suorum copiis Ungarorum phalangem apud Mersborch animosissime agressus, post cædem cruentissimam gloriosa potitur victoria, cæsis pæne ad internecionem Ungaris; sicque Germaniam diu vexatam, liberavit.

Ao. dni. 937 Henrico imperatore decedente, Otto filius, cunctis Germaniæ principibus expetentibus,[212]) Romanorum decretus est imperator, a rebus optime gestis magnus appellatus.[213]) Huic Arnoldus Cliviæ comes, ob singulares virtutes sibi affectus, auxilia haud contemnenda praestitit in rebellantes imperio principes subjugandos, qui imperii sui exordia variis bellorum fragoribus exturbare[214]) adorsi sunt. Quales erant Eberhardus comes palatinus, Gisibertus Lotharingiæ dux sororius, Henricus Saxoniæ dux germanus, Ludovicus Gallorum rex, Fredericus præsul Maguntinus, qui simul maximo congesto exercitu, post gravissima Ottoni et civitatibus imperialibus illata dispendia, Brisacum Alsatiæ civitatem obsidione cinxerunt ac tandem cepere; quod cum Otto iterum obsideret, illique resolvere obsidionem molirentur, congressione facta vicit Otto adversarios, divina virtute magis quam humana, quibus veniam petentibus facile donavit. Dehinc Otto cæsar, intestino suorum bello exstincto, adversus Ungaros et Slavos sive Bohemos, Germaniam bino agmine invadentes, copias educere cogebatur, quos Deo cooperante multis atrocissimis prœliis superatos et quasi exterminatos sibi subdidit,[215]) fidemque christianam amplecti perculit. Audiens inde dispositum Italiæ et ecclesiæ regi-

211) Werter, B. 1. Werler, B. 2. — 212) expectantibus, B. 1. — 213) dicebatur, B. 2. — 214) fragmentis. — 215) subjugavit, H. und D.

men, reordinatis 60 millibus pugnatorum Romam[216]) concessit, coronam imperii a Joanne papa XII sortitus,[217]) quem cum Otto hortaretur, quatenus vitam ejus turpissimam emendaret, iratus Berengario æmulo Ottonis adhæsit, quapropter Papam deposuit et Leonem VIII instituit. Quem[218]) cum Romani denuo repudiassent ac Joannem resumpsissent, Otto Romam obsedit, cives armis et inedia adeo perduxit, quod Joanne rejecto, iterum Leonem in papam resumerent. Ad Germanos dehinc regressus, Magdeburgensem, Brandeburgensem, Merseburgensem, Cycensem atque Misniensem episcopatus instituit atque dotavit. Cujus quidem germanus Bruno de Saxonia, Coloniensis archipraesul et in his gravissimis expeditionibus coadjutor, Angariae et Westphaliae ducatus obtinuit, urbemque Coloniam á Francorum jugo retraxit, pontem quoque lapideum a Colonia usque Tuitium protendentem, atque a magno Carolo locatum, ob crebra in illo commissa latrocinia, dirui jussit, cum Francorum castro solidissimo eo in loco constructo. Utque lapides pontis et arcis Deo dedicaret, præsul Bruno Abbatiam s. Pantaleonis solemnissimam Coloniae ædificavit, quam corporibus sanctorum Quintini et Albini, primi Germanorum martyris dotatam, longe solemniorem reddidit; civitatem Parisiensem, ob injurias sibi illatas obsedit, impugnavit et cepit, spoliisque ditatus Coloniam remigravit a. 767.[219])

Wichmannus comes Clivensis tertius decimus, annis dominatus est sex et triginta, Ottone primo et secundo imperatoribus, vir deo devotus et subditis largus et clemens, cui Cunegundis, Thuringiae landgravii filia inclytissima, Conradum enixa est successorem. Ipse una cum Wichmanno[220]) Zutphaniæ comite, avo materno, nobilium virginum collegium in monte Altinensi haud longe ab Embrica[221]) instituit atque ditavit, ubi et Luthardis, Zutphaniæ comitis filia, prima fuit ordinata abbatissa ao. 985. — Anno autem dni. 893[222])

---

216) Romanorum, H. und D. — 217) sortiens, H. und D. — 218) Die Worte: quapropter — quem fehlen in H. und D. — 219) Richtiger 967. Die Jahrzahl fehlt in H. und D. ganz. — 220) unicum Wichmannum, H. und D. — 221) Die Worte in monte — Embrica fehlen in H. und D. — 222) 894, H. und D.

illustris princeps Amfridus de Clivis, Theisterbandiæ comes, moribus, scientia et virtutibus clarissimus, despectis hujus mundi pompis et illecebris, Trajectensis ecclesiæ ordinatur episcopus, haud modicam comitatus portionem ecclesiæ suæ sponsæ pro dote adducens. Ipse inter cetera pietatis opera, abbatiam fundavit solemnem Benedictinensium monachorum in monte sanctorum prope Amersfordiam, in qua monasticam ducens vitam, post 15 sui præsulatus annos, non sine sanctitatis opinione sepelitur. Quam quidem Abbatiam cum sacro illius corpore Barnulphus episcopus ad ecclesiam s. Pauli[223]) ab eo exstructam in Trajecto transtulit; qui et collegia s. Petri et Johannis in eadem urbe erexit. Eodem tempore Luitgardis de Zutphania, abbatissa Altenensis, Wichmanno comite Clivensi cooperante,[224]) vendidit Arnulpho Hollandiæ comiti Goyland inter Neerdam[225]) et Trajectum situm, cujus pretium et aurum inde perceptum, in aliarum possessionum emptionem et agrorum magis sibi viciniorum ilico convertit, nonnullis tum[226]) redditibus et jurisdictionibus sibi reservatis.

Mengosus Gelriæ præfectus sextus, prudentia et virtutibus conspicuus, annis præfuit 38, genuitque ex Gerberga, Brabantiæ ducis filia, Wikingum successorem, quatuor quoque animi et corporis dotibus ornatas filias, e quibus duæ magnis clarisque principibus fuerunt copulatæ, reliquæ duæ moniales in capitolio virginum illustrium, monasterio apud Coloniam Agrippinam effectæ, vitæ cursum in omni sanctitate consummarunt; ubi et una illarum abbatissa exstitit, altera vero filiarum abbatissa præfuit monasterio virginum in Rindorp prope Bonnam, quod Mengosus genitor[227]) paucos ante annos exstruxerat; in quo et ipse defunctus juxta conjugem sepelitur ao. dni. 1008. Cui in præfectura successit Wickingus filius annis 24, qui genuit Wichardum ex filia comitis de Cuyck,[228]) Richardum quoque Leodiensem et Guilielmum Trajectensem episcopos. Wichardus

223) Caroli, D. — 224) cooperante fehlt in H. und D. — 225) Werdam, H. und D. — 226) tamen, B. 2. — 227) genitor fehlt in H. und D. — 228) Wichardum comitem de Cuick, H. und D.

ultimus Gelriæ præfectus et dominus de Pont annis præsedit 18, genuitque Adelam filiam unicam, Ottoni comiti de Nassawe nuptam, qui Gelriæ comes primus exstitit.

Eadem tempestate Gero Coloniensis archipræsul, inter cetera pietatis monumenta, abbatiam in Gladbach construxit, quam pretiosis admodum reliquiis dotatam s. Vito dedicavit. Cui etiam successor Warinus abbatiam s. Martini majoris Coloniæ instituit.[229]) Cujus siquidem successor s. Heribertus in Tuitio, e regione civitatis Coloniensis, ex castro Francorum vetustissimo a Brunone præsule dejecto, abbatiam exstruxit solemnem Benedictinensium monachorum, sicut et s. Martini et Panthaleonis existunt. Ecclesiam quoque apostolorum ædificare cepit Heribertus, verum morte præventus non explevit. Ipse etiam in villa Saxoniæ Colbeca chorizantes in cœmiterio a sacerdote excommunicatos et per annum colludentes[230]) authoritate papæ absolvit; e quibus alii quidam mox defuncti sunt, aliqui in vesaniam versi, ceteri perpetuam retinebant infirmitatem.[231])

Conradus comes Clivensis decimus quartus, annis regnavit 41, Ottone II. et III. imperantibus, miræ constantiæ et longanimitatis, ita ut ipsum nec prospera extollerent nec adversa terrerent; cui Catharina, nobilissima comitis Seinensis filia, Theodoricum peperit successorem. Ipse in venerabili[232]) Wurmatiensi concilio existens, ordinatis imperii electoribus et curialibus, inter quatuor imperiales[233]) comites superiorem excepit[234]) gradum, non tantum[235]) propter principatus sui vetustatem, sed et propter animi ingentes dotes, præclaraque ab ipso peracta[236]) facinora. Cernentes quippe Gregorius papa et Otto cæsar, quam potissime sæpenumero[237]) dis-

229) Der Satz cui etiam — instituit, fehlt in B. 2. — 230) Die Worte: in cœmiterio — colludentes fehlen in H und D. — 231) Statt der in B. 2. überall eingemalten Wappen, steht hier die Bemerkung: sequuntur insignia Principum imperio romano subjectorum in aquilæ alis depicta. Item civitates imperiales, quæ sint et ubi. Item principes electores quot et qui. Item status civitatis Coloniensis. Es mogte wohl dem Abschreiber zu viel Mühe machen, alle diese Wappen zu copiren. Sie finden sich aber alle in der oben S. 118 erwähnten größeren Chronik. — 232) ultimo, B. 2. — 233) curiales, H. und D. — 234) accepit, H. und D. — 235) nedum, B. 1. H. und D. — 236) perpetrata, B. 2. — 237) quæ sæpissime discordiæ, H und D.

cordiæ bella et schismata in diversorum assumptione imperatorum emerserint, quodque ex hereditaria illorum successione ex filiis aut nepotibus[238]) gravissime læderetur imperium, principes quoque et provinciæ premerentur, Wurmatiensi convocato[239]) concilio, omnium principum consensu ordinati et decreti sunt septem imperatoris electores, qui Romanum deinde regem libere eligerent; non secundum sanguinis propaginem, sed juxta sapientiam, dotes, virtutes atque merita. Insuper ad imperii nitorem additi sunt imperii aulici et curiales ex ceteris, illustriores ex singulis quatuor decreti sunt; quatuor duces: Bavariæ, Sueviæ, Lotharingiæ, Brunswigi; quatuor marchiones: Brandenborg, Baden, Myssen, Moraviæ; quatuor landgravii: Hassiæ, Alsatiæ, Thuringiæ, Lichtenborch; quatuor burchgravii: Nurenborg, Meiborch, Reneck, Stromberg;[240]) quatuor comites: Cliviæ, Sabaudiæ, Zyliae[241]) et Schwartzenberch; quatuor illustres: Andelaw, Struck, Meldingen, Fraweuborch;[242]) quatuor milites: Westerborch, Limborch, Thusis, Aldewalde; quatuor civitates: Lubeca, Metis, Augusta et Aquisgranum;[243]) quatuor villae: Sletstatt, Bamberga, Ulma, Hagenowe; quatuor coloni: Colonia, Constantia, Ratisbona et Saltzburga.

Marchiae comitatus oritur.[244])

Anno ab incarnatione domini 1000 clarissimus Marchiæ comitatus orsus[245]) est a duobus nobilissimis Romanorum consularibus, alto Ursinorum sanguine cretis, a quibus et Clivensibus origo est. Hi denique cum Ottone III. imperatore alpium juga transeuntes, Germaniæ campos et civitates, villasque amœnissimas perlustrantes, montem Wolffsecke in Westphalia, haud longe a Rheno situm, ab Ottone impetrarunt; in quo cum arcem locare munitissimam molirentur, rupes quoque et vepres rescinderent, perdix avicula

---

238) Die Worte ex filiis aut nepotibus fehlen in der D. Hschr. — 239) communicata, H. — 240) Die vier Burggrafen folgen in B. 1. nach den Grafen. — 241) In B. 1. ist Zyliæ corrigirt in Juliæ. — 242) Andelaw, Weissenbach, Frawenborch et Strundeck, D. Die quatuor illustres fehlen ganz in B 2. — 243) Die quatuor civitates fehlen in B. 2. — 244) hic sumit initium, B. 2. — 245) orditus B. 1. exordium et initium sumsit, B. 2.

laborantium exterrita rumoribus, ad unius Ursinatis sinum confugit, orsi[246]) operis consummationem felici omine significans. Comes vero de Arnsberg vicinior, tam illustrium Romanorum vicinitatem non ferens, illos à cœpto cessare opere jubet, alioquin armorum vi eorum conatus reprimere niteretur.[247]) Ursinati illi, Romani imperii aucthoritate freti, nunciantis comitis furiam animose contemnentes, inchoatum citius opus perfecerunt. Cumque comes ille armatorum copiis Romanos ædificantes exturbare conaretur, congressione facta, Romani superiores effecti, minabundum comitem retrocedere ad propria[248]) compulerunt; ex qua nimirum altercatione completam jam arcem Altena nuncuparunt. Tandem cum Romani isti adeo in familiis, possessionibus, potentia et divitiis augerentur, quod una illos colonia locusque capere minime posset, altero in monte, duobus a Colonia Agrippina miliaribus distante, aliud exstruxere castrum Oldenborch vocitatum, cujus usque hodie vestigia in abbatia Benedictinensium[249]) monachorum, eo in loco depost condita, cernuntur. Porro ex his illustrissimis Romanis comites processere de Altena sive Marcha et de Monte, quorum quidem nomina, uxores, proles fortiaque gesta, errorum[250]) mater, oblivio sepelivit usque ad Lotharii II. imperatoris sæcula, regnantis ao. dni. 1126, quando comitatum de Marca sive Altena nomina et stratagemata denuo rememorantur.[251]) — Ao. dni. 1023 calipha Egypti Soldanus cum Turcis confœderatus, Hierosolymam armorum vi occupavit, ubi sacris locis profanatis maximam christianorum stragem edidit, innumeros quoque in servitutem abduxit.

Theodoricus comes Clivensis decimus quintus præsedit 44 annis, temporibus Henrici III. et IV. imperatorum. Princeps miræ prudentiæ et magnificentiæ, tantæque in rebus agendis industriæ et agilitatis, ut comes volans diceretur; qui ex nobilissima Aleida, comitis de Schawenborch filia, Theodoricum et Arnoldum, sibi vicissim

246) orditi B. 1. incepli B. 2. — 247) conaretur, B. 2. — 248) proxima, B. 1. H. und D. — 249) Cisterciensium, D. — 250) eorum, H. — 251) remorantur, B. 2.

succedentes, suscitavit. Erat quippe Henrico III. imperatori ob miras[252]) animi dotes et virtutes adeo pergratus, ut arcem Neomagensem a Flandriæ et Brabantiæ principibus jam dudum[253]) eversam, iterum ab eo restauratam, sibi in feudum donaret; sic tamen, quod Cliviæ comites cæsareæ majestati, annali sub tributo, exsolvere tenerentur tres scarleti pannos, sub pœna privationis. Ipse etiam[254]) Theodoricus Cliviæ comes, ab Henrico imperatore legatus missus fuit in Hollandiam, ad componendam pacem inter Theodoricum Hollandiæ comitem et Godefridum de Arnsberg ejusque germanos, Coloniensem et Leodiensem episcopos, ancipiti se invicem bello impetentes, pro eo[255]) quod Theodoricus ipsorum fratrem de Arnsberch in torneamento[256]) apud Leodium tento occiderat 1048[257]) inter quos quinque annorum treugas, locari curavit,[258]) quibus exspirantibus iterumque sese impugnantibus, conserto in Hemert prope Tylam prælio, comiti Hollandiæ gratiosa cessit victoria; quo vicissim cum suis dormiente, ab adversariis repente in somno oppressus cum mille viris occubuit.

Anno autem dni. 1159[259]) Godefridus Brabantiæ et Lotharingiæ dux ac Baldewinus Flandriæ comes, Henrico III. imperatori rebellantes, ipsum à Phrysonum correctione revertentem in Neomago obsederunt. Theodoricus itaque Cliviæ comes, ceteris Germaniæ proceribus id denuntians, universos ad arma capessenda commovit obsidionemque quam citissime resolvere illos coègit; qui et se imperatori dedentes et admissorum veniam precantes obtinuerunt; nec multo post, imperatori denuo rebellantes, post varia Henrici fautoribus illata damna, Neomagensem arcem cum civitate crebris insultibus impugnatam ceperunt atque diruerunt. Qua propter vicissim ab Henrico imperatore armis et damnis obruti, amicorum tandem compositione pacificati sunt. Dein Theodoricus Cliviæ comes Henrico cæsari, amico suo singulari,

---

252) innatas, B. 1. und 2. — 253) jam dudum fehlt in H. und D. — 254) autem, B. 2. — 255) propterea, H. und D. — 256) Die Worte: in torneamento und tento fehlen in H. und D. — 257) 1068, B. 2. — 258) quinque quoque inter 48 occisos treugas locari curavit, H. und D. — 259) 1049, B. 1. 1069, B. 2.

opem tulit efficacem in Ungarorum debellatione, qui jam Austriam et Bavariam invaserant; quare imperator, accitis apud Coloniam Germaniæ principibus, armatorum suppetias expostulavit, quibus copiosissime acceptis, cum Ungaris congressione compluries facta, victoria potitus, illos ad ultimum fere trucidavit, fidemque catholicam abdicatam reassumere compulit, cum Andrea rege sancto, quem et rejecerant.

Gelriæ primus comes.[260])

Otto de Nassawe primus Gelriæ comes ab Henrico III. imperatore creatus est ao. 1050. Princeps omni laude dignissimus, qui Aleidam filiam unicam Wichardi, ultimi Gelriæ præfecti, uxorem ducens, Gerhardum genuit successorem; eaque decedente ad secundas transiliens nuptias, Sophiam Wichmanni comitis filiam, sollicitante Theodorico Clivensi comite nepote, in conjugem ducens, Gerlacum edidit Zutphaniæ comitatus heredem. Interfecto denique apud Isselmundam in bello Trajectensis episcopi cum Hollandis tento, Gerlaco Zutphaniæ comite, Sophiæ comitissæ genitore, absque liberis, Gerlacus Ottonis filius ex Sophia editus, comitatus illius[261]) titulum cum possessione, ab Henrico IV. imperatore percepit; quo etiam floridæ juventutis ævo defuncto absque uxore et prolibus, Zutphaniæ comitatus ad Ottonem Gelriæ comitem Henrico cæsare[262]) assentiente migravit et usque in præsentem diem[263]) perdurat. Moritur autem Otto comes post varia virtutum insignia ao. 1107, principatus sui ao. 57, Zutphaniæ inhumatus. Ipse Henrico III. cæsari, suo promotori, opem præstitit maximam adversus Brabantiæ et Flandriæ principes decertanti. Annonem quoque Coloniensem episcopum, in obsidione et correctione civitatis Coloniensis sibi recalcitrantis, auxiliarlis copiis adjuvit. Nec silentio transeundum reor, quod dehinc Gelriæ comites non utuntur insigniis armisque[264]) præfectorum de Pont esculinis scilicet floribus, sed comitum de Nassaw leone scil. aureo

---

260) Sequitur primus Gelriæ Comes. B. 2. — 261) Die Worte: comitatus illius fehlen in B. 1. — 262) comite, H. — 263) adhuc, B. 2. — 264) insignibus armorum, H. und D.

cum hastulis usque ad tempora Reinoldi primi ducis Gelriæ, qui cum dignitatis innovatione et arma ducatus renovavit, leonem accipiens aureum cum cauda bifulcata, hastulis quoque intermissis; in quo multi erraverunt, ducatus insignia comitibus assignantes, quibus non competunt, nisi arma de Nassaw.

Wilhelmus de Pont et Gelria, Trajectensis episcopus annis sedit 22, vir scientia et moribus clarissimus atque in defendendis suæ ecclesiæ juribus propugnator eximius. Denique perempto[265]) at Tylam[266]) Florentio Hollandiæ comite, ut dictum est, parvuloque Theodorico filio derelicto, comitissa Florentii relicta, Robertum Flandriæ comitem in maritum ac patriæ tutorem assumpsit, Wilhelmo Trajectensi episcopo feudatario irrequisito, neque ut moris est, feudo expetito. Quamobrem Wilhelmus ira motus, ope Godefridi de Bullione Brabantiæ ducis, suorumque vasallorum Hollandiam depopulatur, consertoque apud Leidis prælio cum Hollandis, gloriosa victoria potitus, Robertum tutorem depulit totamque Hollandiam sibi jure devoluto debitam usurpavit, illius feudo ab Henrico imperatore IV. ocius impetrato. Ad cujus quidem defensionem et conservationem, Wilhelmus præfectus et præsul arcem pulchram et fortissimam in confluentibus maris et Issulæ condidit, Isselmundam nominatam, quam et militum præsidio obfirmavit et ne unquam[267]) Hollandorum opibus et potentia præsul destitueretur, obtento quoque principatu spoliaretur, Godefridum Bullionis præfatum[268]) secum assumpsit in tutorem et rectorem Hollandiæ annis quinque. Ceterum Wilhelmo de Gelria, Trajectensi episcopo interea decedente et Godefrido Bullionis, in aliis occupato, Conradus episcopus Trajectensis, Wilhelmi successor, castrum Isselmund cum Hollandiæ administratione assumpsit. Haud multo post Theodoricus, Florentii interfecti filius, maturam nactus ætatem, ope Roberti Flandriæ comitis vitrici, Hollandiam aggressus, omnes pene civitates facile

---

265) pervento, H. und D. — 266) Leidam, d. Hſchr. — 267) quandoque, B. 1. und 2. — 268) præfectum, H. und D.

occupavit, civibus ultro sese nativo[269]) principi dedentibus. Dehinc cum Isselmundæ castrum obsidione cinxisset, Conradus præsul, suorum vasallorum copiis adjutus, eo commigrans obsidionem solvere moliebatur.[270]) Verum Theodoricus comes cum suis adjutoribus, soluta obsidione præsulis, gentem bello aggressus, post cruentam utrimque editam cædem, Hollandis victoria cessit, multis hostium captis,[271]) cæsis atque submersis cum Gerlaco Zutphaniæ comite genitore, ubique Sophiæ Ottonis Gelriæ primi comitis uxoris. Accidit conflictus iste ao. 1079. Cæde peracta Theodoricus comes universam recuperavit Hollandiam. Inde in Phrysones obstreperos arma vertens,[272]) bina cum illis congressione facta, centum hominum millia promiscui sexus occidit.

Anno dni. 1056 Anno de Dasselen Henrici III. cæsaris Consiliarius,[273]) Coloniensis creatur archiepiscopus, vir Deo et ecclesiæ devotus, quippe qui duo in Coloniensi civitate instituit collegia scil. ad gradus s. Mariæ et s. Georgii, tum extra urbem; tria quoque religiosorum exstruxit monasteria unum in Graffer[274]) Westphaliæ, aliud in Zalefeld, tertium in Syborch, in quo et requiescit. Corpora sanctorum trecentorum Maurorum duorumque Ewaldorum Coloniam perduxit; cumque contumeliis et injuriis a civibus Coloniensibus esset affectus et ex civitate cum suis amicis expulsus, episcopali aula incensa et exspoliata, auxilio Theodorici comitis Clivensis et Ottonis Gelriæ comitis, aliorumque confœderatorum, Coloniam diu obsedit eoque cives pepulit ut principales injuriarum auctores sibi contraderent, liberumque in urbem introitum concederent.

Wilhelmus Juliae comes, ut creditur primus, de quo in chronicis quippiam ponitur, princeps totus virtuosus atque bellator egregius, qui ex filia comitis Lossensis Gerhardum genuit successorem, Vasonem quoque et Wensonem.

---

269) maturo, D. — 270) nitebatur, B. 2. — 271) multis hostium captis fehlt in H. — 272) gessit, H. — 273) Die H. Hschr. hat: Cæsaris Julii. Die D. B. 1. und 2. haben Consul; letzteres wird wohl die Abbreviatur: Consiliar. gewesen sein. Anno war wirklich des Kaisers Rath. Ueber sein Geschlecht vergl. Quellen B. I. S. 176, Note 36. — 274) Grafschaft.

Vaso quippe vir eruditissimus, Leodiensis ecclesiæ cantor et scholasticus tandem episcopus efficitur ao. 1041; qui Godefridum barbatum Brabantiæ ducem, ab Henrico III. imperatore patria pulsum atque in Lotharingiam profugientem, armis cohibuit, militibus itinera opplevit,[275]) vicos et latibula, quibus recipi poterat diruit, donec imperatori, petita venia, reconciliaretur. Wenso autem abbas fuit Floriacensis, vir sanctus et prophetiæ dono illustratus. Ceterum Wilhelmus Juliæ comes Henricum III. cæsarem copiis fovit subsidiariis, quandoquidem cum Brabantiæ et Flandriæ principibus recalcitrantibus[276]) ardua prælia confecit, eundemque ab istis in Neomago conclusum redimere studuit.

Theodoricus III., Cliviæ comes decimus sextus, annis præfuit 29, Henrico IV. et V. imperantibus, princeps infinita propemodum laude dignus, si in eo dotes animi et corporis, si crebras in bellis partas victorias, ceterasque optimi principis virtutes considerare libet; quapropter comes virtuosus dicebatur. Cumque ex Maria, comitis de Hennenberch nobilissima filia[277]) nullas excitasset proles, Arnoldum fratrem reliquit heredem. Is Henrico IV. imperatori adversus filium Henricum, persecutorem ejus decertanti, auxiliares adhibuit copias, quare ab Henrico patris æmulo, damnis et injuriis afficiebatur, summique pontificis censuras perpessus est, qui Henricum imperio abdicaverat, propter gravissimas sibi et ecclesiasticis viris persecutiones ingestas. Verum Henrico IV. defuncto, a filio Henrico V. in gratiam recipitur. Ipse etiam cum ceteris Germaniæ Galliæque primatibus, cruce signatis, Syriam petiit, fortemque se pugilem in recuperanda terra sancta exhibuit, quemadmodum fusius intra dicetur.

Peregrinatio solennis.[278])

Anno dni. 1096 Urbanus papa II. cœlestium signorum ac portentorum sæpenumero apparentium terrore perculsus, concilium principum Galliæ et Germaniæ, imo totius Europæ

---

275) milites oneribus explevit, H. und D. — 276) recalcitrantibus fehlt in H. und D. — 277) filia fehlt in B. 2. — 278) Dieſe Ueberſchrift fehlt in B. 1. D. und H.

ad clarum montem convocans, episcopos quoque, abbates et ecclesiarum prælatos adesse jussit. Quibus cum fidei ac status ecclesiastici detrimenta, christicolarum quoque in Syria commorantium quotidianam oppressionem,[279]) urbis sanctæ Jerusalem templique domini desolationem elegantissima oratione significasset, priscorum quoque imperatorum, regum ac principum bella adversus Saracenos et Turcas, terræ sanctæ devastatores in memoriam revocasset, usque adeo principum ac prælatorum præsentium corda permovit et inflammavit, quod ultro expeditionem transmarinam expetentes, exercitum pene infinitum, tam equitum quam peditum modico tempore conglobarent; in quo quidem exercitu principes cruce signati potiores exstiterunt: Adamarus[280]) episcopus Bodiensis vir sanctus, legatus papæ, Siffridus Maguntinensis, Harpo Monasteriensis, Conradus Trajectensis[281]) episcopi; Godefridus Bulloniæ et Lotharingiæ, Gualterus Almaniæ sive Sueviæ, Boëmundus Apuliæ, Robertus Nortmandiae duces; Hugo s. Pauli, Baldewinus Claromontensis, Raimundus s. Aegidii, Stephanus Blesensis, Baldewinus et Eustachius Bullionis, Robertus Flandriæ, Stephanus Carnotensis, Anselmus de Ribamonte, Hieronimus[282]) Hanoniæ, Theodoricus Cliviæ, Rotoldus Particensis,[283]) comites, barones et militares; civitates etiam potentiores, mercatores quoque et divites in plebe vel milites conductitios vel maximas pecuniarum taxas transmiserunt. Gualterus siquidem Sueviæ dux, non exspectatis ceteris, cum potentissimo cruce signatorum exercitu, Ungariam, Walachiam atque Bulgariam percurrens, Constantinopolim ad Alexium imperatorem Græcorum pervenit, quem mox secutus est Petrus heremita Syrus natione, hujus expeditionis principalis actor et sollicitator cum 60 millibus bellatorum ad Bulgarorum usque fines progrediens; ubi cum nonnulli ex cruce signatis filii Belial, furta, rapinas atque injurias incolis irrogarent, Bulgari convolantes ad arma, decem ex illis[284]) millia pro-

279) expressionem, B. 2. — 280) Adrianus, H. und D. — 281) Trajectensis fehlt in B. 2. — 282) Jencermus, B. 2. — 283) Barmensis, H. und D. — 284) decem sex, D.

straverunt, cum ingenti æris copia a civitatibus et vulgo ea in re largissime contributa. Veniens tandem Petrus Constantinopolim ad Gualterum Sueviæ ducem ipsum præstolantem, coactis in unum exercitibus trajectoque Hellesponto, Bithiniam applicuere, primariam Asiæ provinciam; cumque in Cyneto, loco utique amenissimo, castra metati essent,[285]) ceteros cruce signatos exspectantes, ceperunt nonnulli insolentes per regiones ad prædandum diffundi, feliciter quidem primo, sed postremo a Solimanno Turcarum duce impugnati, equitum quatuor et peditum tria millia perdidere. Residui vero majori cura acies ordinantes, congressione cum Turca inita, post cruentissimam utrimque peractam[286]) cædem, fusi et cæsi sunt ferme universi, cum Gualtero copiarum duce et præcursore. Depost cum Godscalcus teutonicus presbiter, cum quindecim armatorum millibus[287]) et Emicho comes de Lindingen, facinoribus clarus, cum duodecim Germanorum millibus Constantinopolim migrarent, Judæos ubilibet locorum repertos exspoliantes aut trucidabant aut christianos fieri cogebant. Sed cum in Ungaria castra metati, luxui dediti et ebrietatibus, incolis damna et injurias inferrent, a regalibus copiis bello lacessiti, omnes quasi interempti vel ad propria repulsi erant. Tali nimirum modo paleis ex arca domini eliminatis[288]) Godefridus Bullionis, Lotharingiæ dux, vir ad arma doctissimus, summusque copiarum ductor electus, cum selectissimo equitum peditumque exercitu Ungariam, Walachiam atque Bulgariam juste pertransiens, Philippolim pervenit et inde Constantinopolim. Transito autem Hellesponto in pago Calcedonensi candidissimus christicolarum apparatus castra fixit, in quo erant equitum centum[289]) et sexcenta millia peditum, nec diu quiescentes, Niceam Turcarum regiam obsidione cingentes, crebris impugnabant insultibus. Quam cum Solimannus, suorum Turcarum multitudine fretus, dissolvere moliretur, superatus est a cruce signatis, multis captis et interemptis.

---

285) metassent, B. 1. und 2. — 286) factam, B. 1. editam, H. — 287) militibus armatorum mille, D. und H. — 288) et area domini exclusis, H. und D. — 289) centum fehlt in B. 2.

Capta tandem Nicea et Graecis, ceu promissum erat, restituta, dispertito exercitu in plures acies, diversas Asiæ provincias Godefridus simul impugnare constituit.[290]) Baldewinus enim Tarsum obtinens Ciliciam subegit; Tancredus vero Cariam et Liciam provincias armorum vi occupavit; potissima denique cruce signatorum acies Antiochiam Pysidiæ metropolim, una cum multis Galatiæ[291]) et Capadociæ civitatibus interceptam, præsidiis firmavit. Deinde Antiochiam Syriæ dominam (olim Ballata dictam) 460 turres in circuitu habentem, octo mensibus Godefridus dux obsedit, quam et repetitis impugnationibus et fame excruciatam, tandem, Manelaco uno prodente, ceperunt anno dni. 1098. Ingressi autem civitatem christiani, occurrentes undique Turcas obtruncantes, nihil alimentorum invenerunt, sed auri, argenti, pretiosissimarumque rerum superabundantiam; arcem tamen in monte excelso locatam, multo tentatam tempore obtinere non poterant. Inter hæc venit Carbona, militiæ Persarum princeps, infinita Turcarum et Saracenorum colluvie innixus, iterumque obsidione Antiochiam vallans, commeatum et vitæ necessaria in urbem deferri prohibuit, quotidianas quoque in civitate ex arce eruptiones et pugnas fieri fecit; quamobrem tanta in Antiochia fames invaluit, ut equos, asinos et cattos pro deliciis ederent christiani interclusi. Apparuit tunc[292]) cuidam clerico s. Andreas apostolus lanceam salvatoris nostri in ecclesia s. Petri sepultam ostendens, cujus virtute universas Turcarum acies facillime penetrarent. Qua nimirum requisita et inventa, quasi de auxilio divino assecurati,[293]) post missarum exacta solemnia, cum Christi lancea in Turcarum castra irrumpentes, collataque pugna et cæde maxima, christiani superiores effecti, ultra centum millia Turcarum trucidarunt. Hinc fugientium castra perlustrantes, tantam omnium rerum copiam, tantos divitiarum acervos, tantam quoque victualium, equorum, armorum et animalium compererunt abundantiam ut ad nauseam usque ditarentur universi. Exinde ad urbem regressi, arcem, dedentibus se

290) præsumpsit. — 291) Salasiæ, B. 2. — 292) tandem, H. u. D. — 293) securi, H.

Turcis, recepere, quam cum Antiochia et adjacente regione, Boemundo Apuliæ duci principes exercitus tradiderunt. Ad ulteriora denique progressi loca, christianorum proceres nonnullas ad Euphratem adjacentes civitates interceperunt. Godefridus siquidem copiarum summus ductor, copiis hinc inde dispersis revocatis, versus Hierosolimam processit, quamplurimis in itinere civitatibus Syriæ armorum potentia occupatis; quibus ita expletis, opidum exile Ramula dictum, subita eruptione invadentes repetunt,[294]) ubi annonæ et victualium abundantiam invenientes, triduo quiescentes recreati sunt. Die vero quarta Godefridus dux cum Christianorum exercitu,[295]) urbem Hierosolimam a Saracenis et Turcis occupatam obsedit, singulis diebus in locis quatuor illam acerrime[296]) impugnans. Tandem conspicientes Christiani equitem, aureis cinctum armis, è monte olivarum procedentem, illosque ad civitatis expugnationem provocantem, ideoque divinum adesse auxilium, maximo animorum ardore urbis moenia conscendentes et fortissime decertantes, fatigatis et fugientibus Saracenis, urbe Hierosolima[297]) potiti sunt, omnes in ea Turcas et Saracenos gladiis trucidantes ao. dni. 1099 in festo divisionis Apostolorum. Die octavo principes et exercitus capitanei convenientes expurgatis templis et ecclesiis a Saracenorum spurcitiis et contaminationibus,[298]) Godefridum Bullionis concorditer in regem elegerunt. Superveniens paulo post Calypha Egyptiorum sultanus cum centum equitum et 400 peditum millibus, quatenus interceptam a christicolis Hierosolimam recuperant, congressione cruentissima cum Godefrido et christianis[299]) facta, numero longe imparibus, turpiter victus succubuit, interfectis centum Saracenorum millibus. Hac siquidem victoria rex Godefridus animosior effectus, capta Ascalona civitate, ad Hierusalem ovans rediit. Triumpho peracto major principum pars ad propria regrediebatur; inter quos Theo-

---

294) receperunt, B. 2. — 295) cum copiis suorum, B. 2. — 296) miserrime, B. 2. — 297) Hierosol. fehlt in B. 1. H. und D. — 298) comminationibus, B. 2. — 299) Die Worte cruentissima — christianis fehlen in D.

doricus Clivise comes unus extitit, qui ad suos reversus, pauco requievit tempore; nam cum potioribus Germaniæ principibus adversum imperatorem Henricum V. bellare coactus fuit.

Anno siquidem dni. 1110 Henricus V. imperator potissimis Germanorum copiis suffultus, Italia pervagata, Romam concessit, receptaque a Paschali papa imperii corona, depost pontificem vi armorum compulit, quatenus episcoporum et prælatorum investituras, a patre Henrico dudum resignatas denuo sibi conferret; quamobrem irati commotique Romani et Italiæ majores, tam episcopi quam sæculares, convocato apud Lateranum concilio, papam Paschalem coègerunt, ut concessionem illam, Henrico ex metu factam, ilico cassaret.[300]) Cumque Henricus, a concilii legatis pulsatus, quatenus[301]) revocationi huic assentiret et ille non recalcitraret, a papa et concilio excommunicatur atque imperio spoliatur. Quod ubi episcopi Germaniæ et principes rescissent papæ et concilio adherentes, Henrico excommunicato et deposito inimici existunt:[302]) Albertus Moguntinus, Fredericus Coloniensis archiepiscopi, Spirensis et Herbipolensis episcopi, Lotharius Saxoniæ, Godefridus Lovanii et Gerhardus Westphaliæ duces, Theodoricus Clivensis, Gerhardus Gelriæ, Henricus Limburgensis, Gerhardus Juliæ et Lambertus de Molenarck comites et barones, milites atque civitates plurimæ simul confoederatæ. Aperto itaque marte Henricus rex Francorum, Bavarorum aliorumque sibi sociatorum principum copiis adjutus, nominatis principibus eorumque terris bellum intulit. Committuntur hinc inde devastationes provinciarum et civitatum factionis utriusque; tandem inito conflictu, strages editur maxima, sed regius exercitus victor evadens, multos cepit cum comitibus Juliæ et Molenarck, cumque rex Westphaliam prædando et damnum inferrendo[303]) percurreret, congressione cum adversariis facta, victus succubuit, multis suorum captis et enecatis. Iterumque rex Henricus copiis resarcitis

300) revocaret, B. 2. — 301) quamvis, B. 1. — 302) inimicantur isti, B. 1, excommunicato et imperio privato adversantur isti, B. 2. — 303) damnificando, B. 1.

æmulos[304]) bello adorsus, post cædem cruentissimam denuo superatur in Welpelerholt partium Westphaliæ ao. 1114. In quibus quidem expeditionibus quamplurimæ captæ et eversæ sunt civitates, utpote Juliacum, Duisborch, Tremonia, Monasterium, Brunswick, Halverstat et Leodium aquarum exuberantia inaudita submersum fuit,[305]) Rottenborch quoque in Suevia terræ motu corruit. Ceterum Henrico rege papæ reconciliato, jusque investituræ prælatorum resignante, etiam principes Germaniæ eam ob rem[306]) sibi indignati, pacem cum illo confecerunt. Papa tamen Gelasius, Paschalis successor, Henrico concessit, quod prælatis regalia conferre posset.

Gerhardus Juliæ comes, ea tempestate rerum optime gestarum candore refulsit; qui ex Hannoniæ comitis filia Wilhelmum suscitavit successorem atque Alexandrum Leodiensis ecclesiæ episcopum, electum et consecratum ao. 1129.[307]) Ipse auxiliatus est Henrico IV. imperatori, contra Henricum filium suum persecutorem bella gerentem, à quo et in suos subditos damna perpessus est, quando Agrippinam Coloniam Henricus junior obsedit et Leodienses patris fautores bello lacessivit. Depost[308]) etiam cum Frederico Coloniensi episcopo, ceterisque Germaniæ proceribus confoederatis bellavit fortiter[309]) adversus Henricum V. imperatorem, a concilio Lateranensi depositum et in bello victus et captus fuit et Juliacum eversum extitit. Depugnavit quoque cum Alexandro Leodiensi episcopo filio, adversum comitem Durassi hostem aliosque rerum ecclesiasticarum corrosores. Qui tamen Alexander ob simoniæ crimen per papam Innocentium II. episcopatu privatus est ao. 1137.

Arnoldus Theodorici prioris germanus comes Clivensis decimus 7^{mus}, annis rexit 47,[310]) temporibus Henrici V, Lotharii II. atque Conradi II. Romanorum imperatorum. Tantarum quippe virtutum princeps, quod Margaretham Sueviæ ducis filiam et Frederici I. imperatoris sororem

---

304) permultos, D. — 305) ferme submersa, B. 2. — 306) causam B. 1 und 2. — 307) 1130, H. und D. — 308) Die Worte: patris — lacessivit fehlen in H. — 309) fortiter fehlt in H. und D. — 310) 17, B. 2.

in conjugem accipere[311]) meruerit, ex qua genuit Theodoricum successorem, Aleidam comitissam de Altena sive Marcha et Margaretham comitissam de Meer et Aere,[312]) quæ singulari devotione permota, post mariti vivi utique bellicosissimi mortem,[313]) abbatiam fundavit ordinis præmonstratensis, tunc a novo incipientis; in qua ipsa, una cum filia Margaretha, sæculi pompis despectis, sanctimonialis effecta[314]) post paucos annos in abbatissam consecreta fuit ao. dni. 1168;[315]) quæ et in Christo defuncta in choro ejusdem ecclesiæ cum miraculorum gloria sepulta requiescit. Insuper Arnoldum Cliviæ comitem ejus genitorem, matremque Margaretham clarissimis[316]) suis moribus et vitæ sanctitate adeo pellexit et inflammavit, quod ex oratorio comitum in Bedborch erecto, abbatiam ejusdem ordinis insignem erigerent ac magnifice dotarent, ecclesiam denique Clivensem, cum non modica sylvarum parte, decimasque et agros quamplurimos monasterio[317]) tribuerent. Sed cum ecclesia collegiata efficeretur, permutatione facta, ecclesias in Kellen, Meer et Kekerden[318]) pro Clivensi ecclesia receperunt moniales. Ab Arnoldo quoque Clivensi comite constructorum monasteriorum devotio, ad Folcodum nepotem Teisterbandiæ comitem derivavit; anno enim dni. 1131. Folcodus de Clivis et Teisterbandie, dominus insulæ[319]) inter Walam et Mosam sitæ, tempore illo, ut supra dictum, ab æmulis suis et inimicis ad Mosam usque persecutus nec evadere valens, undique coarctatus, Deo et b. Mariæ virgini, cui esset devotissimus sese devovit, promittens se ex castro suo Bernensi monasterium erecturum, si ab æmulorum furiis illius intercessione erueretur. Itaque armatus cum equo Mosæ fluctibus sese ingerens, ad alteram Mosæ ripam mox se translatum conspexit, pulcherrimam virginem post ipsum in equo residentem se vidisse asserens. Ex tanto nimirum[320]) periculo divina protectione liberatus, ilico voti memor in arce Berne

311) ducere, B. 2. — 312) Meerams, H. — 313) necem. ex castro suo Meer prope Nussiam, B. 1 u. 2. — 314) est et, D. — 315) 1148, D. — 316) gravissimis, B. 1. und 2. — 317) monasterio fehlt in B. 2. — 318) Relleim, Meer et Rererden, D. — 319) Juliæ, H. — 320) inimicorum, H.

munitissima, in Mosæ ripis condita, egregiam certe Abbatiam ordinis præmonstratensis exstruxit, temporibus Arnoldi de Cuick Trajectensis episcopi, Hermanni domini de Heusden, Wichardi dni. de Altena nepotum et vincinorum. Communicato deinceps cum nobilissima ejus conjuge Bessela de Zommeren[321]) consilio, quia prolibus carebant, sese mutuo licenciantes, mundique hujus oblectamenta spernentes,[322]) ipse in abbatia Bernensi monachatum[323]) induit, ipsa vero in Bedborch monialis ordinata, binas ejusdem ordinis praeposituras instituit, monialibus depost assignandas,[324]) unam in Werde haud longe a Batenborch, alteram in Meersborch prope Trajectum, ubi et mons et villa Marem a Marte nomenclaturam sumpsere. Bessela autem morte praeventa, conceptum mente spiritum de monialium monasteriis ibi exstruendis explere non valens, praepositurae usque hodie[325]) manserunt et grangiae. Ecclesiam insuper in Buscoducis[326]) Folcodus monasterio ceu patronus concessit; sed illa facta collegiata, permutatione facta alias ecclesias abbatiae viciniores[327]) monachi perceperunt. Quo etiam tempore Godefridus et Otto, comites de Cappenborch e castro eorum Cappenborch[328]) ejusdem ordinis abbatiam instituerunt. Aliud quoque virginum monasterium extra muros Wesaliae, super Lippiam condiderunt. Is quippe[329]) ordo praemonstratensis ao. dni. 1020 orsus est a sancto et nobili viro Nortberto de Genuep Xanctensi praeposito, indeque Magdeburgensi archiepiscopo, quemadmodum diva virgo Maria in visione praemonstraverat. Anno vero dni. 1142[330]) Arnoldus comes Clivensis post insignia devotionis et virtutum opera, plenus dierum obiit et in monasterio Bedborch ab eo constructo, in chori medio, juxta uxorem Margaretham de Suevia, ingenti veneratione inhumatur, ubi et ex comitibus priscis quamplurimi requiescunt.

---

321) Zemmeren, B. 2. Commeren, D. Lommeren, H. — 322) Die Worte: mundi — spernentes fehlen in D. — 323) monachum, B. 2. — 324) assignatas, D. — 325) in hodiernum diem. — 326) Basedunc, H. und D. — 327) viernioris, H. — 328) Oldenborch, H. Dattenborch, D. — 329) quoque, B. 1. H. und D. — 330) 1162, B. 1 und 2.

Ao. dni. 1132 Florentius Theodorici Hollandiae comitis germanus, neptem Hermanni comitis de Cuick, sub tutela Arnoldi Cuick Trajectensis episcopi commorantem, violavit et a praesule admonitus, ut illam duceret et ex scandalo crearet[331]) honorem, recusavit eam despiciens; cumque Florentius venationibus[332]) in Absteden[333]) prope Trajectum operam daret, ab Hermanno de Cuick in stupri vindictam obtruncatur.[334]) Ceterum quia[335]) idem Hermannus comes

---

331) faceret, B. 2. procuraret, H. — 332) venationibus fehlt in B. 1. — 333) Alsteden, B. 1. Abstenen, B. 2.

334) Um dieſe für die Geſchichte unſerer weſtfäliſchen Grafen wichtige Thatſache in ein möglichſt klares Licht zu ſtellen, geben wir hier noch zwei umſtändlichere Erzählungen derſelben. Die erſte iſt aus dem S. 118 beſchriebenen Manuſcript der Königlichen Bibliothek zu Berlin Nr. 155, fol. 47; die zweite aus dem Chronicon Hollandiæ ab a. 647 ad a. 1205 in Kluit historia critica comitatus Hollandiæ et Zeelandiæ I, 1. p. 79.

I. Hujus gloriosi Aruoldi comitis Clinie tempestate, Theodericus Hollandie comes nepos, immaturam patris Floreutii necem apud Tielam dudum a comitibus de Cuyck et Arnsborch interempti vindicare satagens Hermanno de Cuyck hostiles vndique tetendit insidias et duras adeo, quod nullis amicorum precibus nullisve mediis pacem nancisci posset. Sed vbi Andreas de Cuyck Leodiensis prepositus in Trajectensem erat episcopum delectus mitius egit Theodericus, ita quod episcopi moderatione, Hermannus comes de Cuyck, Andree germanus, pro animabus Florentii comitis Hollandiæ aliorumque cum eo cesorum solenne fundaret monasterium in quo sedule deus coleretur. Fundatum (sic) est igitur abbatia insignis insule beate virginis prope Bomel (Marienwert bei Bommel) ordinis premonstratensis, à Nortberto de Genuep Xanctensi preposito uouiter instituti. Hoc medio pax inter Hollandie et de Cuyck comites instaurata, modico durauit tempore. Nam Florentius de Hollandia Theoderici comitis frater, neptem comitis de Cuyck, ex sorore et Aruoldo de Rothem, Trajecti sub cura Audree presulis degentem, dolo seductam violauit. Quam cum in vxorem vt promiserat accipere omnino recusaret, Hermannus comes de Cuyck, publicam sceleris vindictam ob violatoris potentiam sumero nequiens, tempus prestolabatur magis oportunum. Quadam namque die cum Florentius in Absteden haud longe a Trajecto venationibus vacaret, ab Hermanno comite in exitiale eius exterminium occiditur. Quamobrem Theodericus Hollandie comes germanus, Lotharius 3^tius imperator, cuius erat ex sorore nepos, ope Arnoldi Cliuie et Gerardi Gelrie comitum, Hermannum comitatus titulo priuauit et patria, villis castrisque deiectis ac in solitudinem quasi versis. Andream insuper Trajectinum episcopum tanquam sceleris fautorem, imperator sede deposuit episcopali. Qui tandem Cliuie et Gelrie comitum compositione Theodorico comiti Hollandie reconciliati ad propria vnde eiecti fuerant redierunt. (accidit 1133.)

II. Florentius-gladio occisus est. Cuius necis hæc causa est. Godefridus de Kuk et Hermannus de Arnesberch, nobiles viri et famosi, neptem ex sorore Aleyda habuerunt, filiam Arnoldi de Rothen nomine Heilwinam, quam post occisionem patris et obitum matris eius, Hermannus avunculus in sua susceperat, hoc proponens, ut urbes et eius

de Cuick Theodoricum Hollandiae comitem in bello apud Tielam[336]) quondam occiderat, idcirco nunc nova odia veteribus repullulantibus, Theodoricus Hollandiae comes, Florentii caesi frater, ope Lotharii imperatoris, Clivensis ac Henrici Gelriae comitum, universum comitatum de Cuick armorum viribus occupavit, Hermanno comite ad amicos confugiente, quem et Lotharius caesar comitatus titulo privavit et Arnoldum praesulem deposuit. Qui tamen praefatorum comitum moderatione Theodorico Hollando reconciliatus atque restitutus existit, sic tamen quod pro requie comitum interfectorum patris et filii solemne alibi monasterium erigeret, quod olius implens abbatiam insulae b. v. Mariae-Wert dictam, haud longe a Bomel ordinis praemonstratensis uberrime dotalam exstruxit a. 1134.[337]) Arnoldus quoque

possessiones latissimas gubernaret, donec eam viro competenti traderet. Sed ministeriales invenculae, Florentii probitatem audientes, hoc consilium inierunt, ut eum dominum eligerent et puellam eius coniugio copularent. Advocatum ergo ad se benigne susceperunt et homines ipsius facti, urbes puellae et prædia, et omnia quæ poterant illi assignaverunt. Præterea instanter cum eo puellam ab avunculo Hermanno, ut coniugio sociaretur requisierunt; quod ille penitus abnuit, nec ad hoc vi ulla vel pretio vel minis flecti potuit. Florentius autem cum suis omnia illius incendiis et gladio devastavit, multisque eum adiuvantibus (quia erat cognatus regis) insidiabatur omnibus modis et rebus et vitæ ipsius. Ille vero, fratris Godefridi et maxime Traiectensis episcopi Andreæ fruitus auxilio, militum non parvam multitudinem collegerat, sed eadem, quæ sibi parabat, Florentio machinari non minus sollicitus erat. Traiectenses autem pro respectu comitis Theoderici, tum præ timore regis Lotharii, Florentii partibus favebant et auxilium pro posse conferentes, ingressum civitatis et egressum domosque ad manendum quotienscunque vellet inveni offerebant. Qui urbem episcopi Lakesmunde incendio devastavit et ipsum ne ingredi posset civitatem, quia sibi contrarius erat, potenter cohibuit. Cum vero die quadam Florentius civitatem cum decem tantum militibus, nihil insidiarum vel adversitatis suspicatus, exisset, subito visus et circumseptus a duobus prædictis fratribus est, qui cum multa manu militum eo nesciente ad urbem venerant, et dum fugere et redire in urbem conaretur et posset, pes equi in loco qui dicitur Abbenstade lapsus est et ipse corruit et ab illis occisus est: cuius corpus in Renesburch perlatum est, et confestim legatus, qui hoc regi Lothario nunciaret missus est. Qui nimis ægre mortem eius accipiens, Hermannum et Godefridum adiuvante comite Hollandensi, domo et patria expulit, fugacesque et exules fecit, mortemque nepotis competenter ultus fuisset, si mors non eum ad magnam felicitatem istorum rapuisset. Statim enim ad sua reversi, et homines comitis Theoderici facti, in amicitiam et pacem reversi sunt.

335) quoniam, B. 2. quoque H. — 336) Kelam. H, Relam, D. — 337) uberrime — 1134 fehlt in B. 1. H. und D.

Cliviae comes auxiliares destinavit copias Conrado imperatori, ad defensionem sanctae terrae proficiscenti. Conradus nempe Romanorum electus imperator, debellatis primo in Germania imperii insidiatoribus, Bavariae scil. et Saxoniae ducibus, Italiam potentissimo[338]) Germanorum exercitu movit, Rogerum Apuliae et Guelfonem Bavariae duces, transitum ejus impedire molientes, bello agressus superavit, multis captis et trucidatis. Tunc temporis[339]) orta fertur factio Italorum a duobus fratribus Guelfo et Gibelo e quibus Guelfo cum papa et Italis militabat et Gibell cum imperatore erat. Ao. igitur dni. 1146 Conradus a. s. Bernhardo inductus, cum 70 armatorum, tam equitum quam peditum millibus, multisque Germaniae et Italiae principibus et militaribus, transcursa Hungaria et Bulgaria, Constantinopolim pervenit, receptus[340]) nimirum ab Alexio imperatore comiter et Graecis, diebus quoque aliquot refocillatus, dati sunt Conrado[341]) imperatori ex Graecis conductores, sed in malum sibi et Christianis. Nam illi naturali odio Latinos odientes, Christianos ad Laoditiam usque recto itinere deduxerunt, sed deinde per devia ad eremum vastissimam[342]) regales copias abducentes et nocte recedentes Turcis ad caedem immolabant; cum enim fame, siti ac laboribus pene exhausti, meditarentur regressum ad loca magis cognita, ecce Turcarum acies validissima adfuit, qui christicolas taliter dispositos quotidianis aggressionibus atque praeliis adeo fatigabant, ut totam illam Germanorum aciem ad decimam usque partem redigerent, ceteris omnibus vel fame vel gladio enecatis, Conrado imperatore cum paucis ad Niceae partes confugiente. Accidit ista Christianorum caedes ao. dni. 1147.[343]) Ludovicus denique Francorum rex, cum suis proceribus cruce signatis, cum innumera suorum multitudine Carolum[344]) regem subsecutus, ubi Graecorum dolos et Conradi stragem intellexisset, transito Hellesponto ad Ephesim Asiae metropolim di-

---

338) Die Worte: Germania – potentissimo fehlen in D. — 339) Extunc, B. 2. — 340) Constantinopolim exceptis, H. — 341) Gerhardo, H. und D. — 342) vetustissimum, D. Hschr. — 343) 1167, B. 2. — 344) Conradum, B. 1.

vertit, cumque Antiochiam versus, cum exercitu Ludovicus rex properaret, bina cum Turcis occurrentibus congressione facta, prima victor secunda victus exstitit. Ceterum Antiocheno principe in occursum Ludovici properante, fugatis Turcis, ipsam Antiochiam deduxit. Dehinc Hierosolimam cum Gallorum exercitu ad Conradum caesarem migrans, perlustratis sacratae terrae locis et templis, Damascum, urbem Syriae potentissimam, junctis exercitibus obsidione vallarunt, ibi multis cum Turcis praeliis confectis et variis in urbem insultibus expletis, tandem procerum quorundam traditione, obsidionem resolvere cogebantur reges, eo quod ipsi loca commodiora deserentes Turcis occupanda dimiserant, ex quibus commeatuum et necessariorum copiam inferri castris prohibuerunt; quapropter desperantes ad propria concesserunt, regno Hierosolimarum, in majori periculo quam antea fuerat, derelicto. Extunc etiam cepit Latinorum nomen et auctoritas in Syria quotidie minui et despici; tandemque ad nihilum reduci.[345])

Gerhardus Gelriae et Zutphaniae comes secundus, annis praesedit 29.[346]) Vir Dei ecclesiae devotissimus, clemens et magnificus, qui ex Hadewige Florentii comitis Hollandiae filia, Henricum genuit successorem. Ipse cum uxore struxit monasterium Dives[347]) et Comptum in Hassia nuncupatum Boderawe in confluentibus Fuldae et Werrae amoenissimorum fluminum collocatum Cum suis quoque copiis in expeditione illa gravissima interfuit, quam Fredericus Coloniensis archipraesul, pluresque Germaniae episcopi et principes confoederati in Henricum V. imperio spoliatum[348]) a Lateranensi concilio, confecerunt, ut alias diximus. Postremo post multa virtutum insignia e vita migrans, in Zutphanensi ecclesia apud genitorem suum Ottonem, cum uxore sepultus fuit ao. 1131.

---

345) deduci, B. 1. perduci, H. und D. — 346) 24, B. 1 und 2. — 347) duces, B. 2. — 348) privatum, B. 2.

Prosecutio comitum de Marca.[349])

Adolphus comes de Marca primus, annis praefuit 20, temporibus Heurici V. et Lotharii II. imperatorum. Vir armorum exercitatione clarissimus, cui Ailheitis, Arnoldi comitis Clivensis[350]) filia, Adolphum peperit successorem et Brunonem Coloniensis ecclesiae archiepiscopum, virum utique scientia et moribus splendidum, qui cum Lothario imperatore apud Barum, Apuliae urbem existens, peste correptus,[351]) animam efflavit et ad Germaniam capsa plumbea inclusus perductus, in monte veteri apud parentes fuit sepultus. Adolphus denique comes de Marca sive Altena, hactenus quasi obliteratus, hisce diebus in lucem prodiit cum Everhardo ipsius germano, viri bellorum gloria insignes. Ao. enim dnl. 1125 consertum est bellum cruentissimum in dioecesi Leodiensi, inter Henricum ducem Lymburgensem et Godefridum Brabantiae ducem eorumque confoederatos, in quo caede hominum edita maxima, Godefrido cessit victoria. Interfuere autem huic proelio Adolphus et Gerhardus comites de Altena germani, Henrici ducis castra comitantes,[352]) ubi sese pugiles fortissimos ostendentes, universorum in se animos permovebant, exactoque certamine, cum ad suas proprias sedes remeassent, Everhardus natu junior ob profusi ab eo sanguinis profluvium, mordentis conscientiae stimulis agitatus, mundi pompa et illecebris despectis, clamque a fratre Adolpho aufugiens,[353]) Romam petiit, indeque s. Jacobi exuvias in Hispania devotissime visitavit, nec istis peregrinationibus contentus Morimundo Galliae monasterio probatissimo laicorum cucullam induens, porcorum se pastorem constituit. Contigit autem non longe post, duos fratris sui Adolphi milites Gallorum regia stipendia promerentes circa Morimundum a semitae rectitudine declinare, qui porcorum pastorem in agro videntes, et ad illum declinan-

349) Prosequitur genealogiam comitum de Altena sive Marca. Primus comes. B. 2. — 350) Clivensis, fehlt in H. und D. Sie war auch keine Tochter von Cleve, sondern Heinrichs von Lauffen; ihre Mutter Ida eine Tochter des westfälischen Grafen Bernhards I. von Werl. Seibertz Gesch. d. westfäl. Grafen S. 17 u. 47. — 351) peste correptus fehlt in B. 1. — 352) sequentes, B. 2. — 353) refugiens, B. 1. H. und D.

tes[354]) de itineris errore informari desiderant. Verum ipse fratris militares agnoscens, ne proderetur quis esset, voce gallica respondit. Sed illi pastoris faciem accuratius[355]) perlustrantes, ex cicatrice obducti vulneris in faciem dudum accepti, Everhardum agnoscentes, abbati et monachis pastoris eorum genus, nomen et patriam exposuerunt, qui ipsius humilitatem et devotionem perpendentes ad Germaniæ partes Everhardum destinare placuit,[356]) quatenus amicorum suppetiis nonnulla monasteria ad Dei honorem animarumque salutem instituere posset. Ad Adolphum vero germanum mox veniens, maximo omnium gaudio, tamquam ex mortuis resurgens excipitur.[357]) Post dulcia colloquia et solatia, arcem in monte veteri Aldenborch dictam,[358]) pro exstruendo monasterio impetravit, ubi abbatiam Benedictinensium[359]) monachorum erexit, in qua plurimi Marchiæ, Montis et Juliæ comites et duces sunt reconditi. Deinde Everhardus de Altena ad Zusonem[360]) Thuringiæ principem nepotem proficiscens et mentis desiderium exponens, consentientibus Gysela Zusonis[361]) uxore cum Henrico et Gunthero filiis montem s. Georgii cum agris adjacentibus obtinuit, in quo abbatiam monachorum præcipuorum ædificavit ubi et instantibus monachis et amicis, tandem in Abbatem consecratus exstitit per Maguntinum archiepiscopum, vir omni religione et sanctitate conspicuus. Obiit autem Adolphus comes de Altena ao. Dni. 1131[362]) in monte veteri cum uxore Aleida filioque Brunone sepultus.

Henricus Gelriæ et Zutphaniæ comes, annis rexit 31, genuitque ex clarissima Brabantiæ ducis filia, Gerhardum et Ottonem mutuos successores, filiamque Margaretham Engelberto primo comiti de Monte desponsatam. Arnoldum quoque Coloniensem archiepiscopum edidit et filiam Catharinam, Gerhardo Lossensi comiti nuptam. Ipse a Godefrido Brabantiæ duce, socero, Velvae feudum et possessionem

---

354) et ad illum declinantes fehlt in D. — 355) curiosius, B. 1. — 356) placuit fehlt in B. 2. — 357) accipitur, H. und D. — 358) exstructam et dictam H. und D. — 359) cisterciensium, D. — 360) Rusonem, H. — 361) Lysula Rusonis, H. — 362) 1152, D.

obtinuit, quam a multis annis Brabantiae duces[363]) a Trajectensi ecclesia, cujus erant vasalli, in feudum percipere consueverant, ita tamen quod Gelriae comites Velvae feudum non a praesulibus sed a Brabantiae ducibus deinceps[364]) recipere tenerentur. Ob quam causam plura depost praelia excitata leguntur inter episcopos Trajectenses, Brabantiae duces et Gelriae comites ac duces, ut patebit in sequentibus. Decertavit quoque Henricus cum Liffrido, domino de Coeverden adversus Godefridum de Renen Trajectensem episcopum, eo quod Groningiae praefecturae feudum Liffrido[365]) cui hereditario jure attinebat, concedere recusaret. Tandem Frederici caesaris inductione, datis Godefrido praesuli 300 argenti marcis, paciscuntur; feudumque Liffrido concessit. Henricus insuper comes feudum largitur ad construendum canonicorum regularium monasterium in Betlehem haud longe a Dotnichem,[366]) cujus deinceps domini de Wisse se gloriantur esse conditores et dotatores. Defecit ultimo Henricus Gelriae comes optimus ao. dni. 1162, in Campensi abbatia cum uxore inhumatus.

Adolphus comes de Altena vel Marca secundus, annis praesedit 24[367]) Conrado II. et Frederico I. imperantibus, magnarum utique gratiarum et dotium princeps. Genuit autem ex filia comitis de Arnsberch Everhardum successorem, Engelbertum comitem de Monte primum, Fredericum, Brunonem et Theodoricum Coloniensis ecclesiae archiepiscopos. Fuit quippe Adolphus comes cum Frederico imperatore in subactione Italiae et civitatis Mediolanensis eversione,[368]) ubi et Fridericum archiepiscopum Coloniensem filium suum mortuum conspexit. Nec silentio transeundum reor, quod quamplurimi ex illustrissima familia comitum de Altena seu Marca, Coloniensis ecclesiae archiepiscopi sint assumpti, quorum catalogum hic succincte studui reponere. Primus fuit Bruno, Adolphi comitis primi filius, praepositus

[363]) In H. heißt es irrig: velut feudum et possessionem obtinuit, quam a nonnullis Brabantiæ ducibus etc. — [364]) deinceps fehlt in H. und D. — [365]) Die Worte domino — Liffrido fehlen in H. — [366]) Doetichem, B. 1. Doligen, B. 2. — [367]) 29, B. 2, in B. 1 fehlt die Zahl. — [368]) subversione, B. 1 und 2.

s. Gereonis et Lotharii imperatoris cancellarius, quo sollicitante creatur archipraesul ao. 1132, seditque annis sex; de quo superius; secundus fuit Fredericus Adolphi secundi comitis filius,[369]) praepositus s. Georgii a Frederico primo promotus ad archiepiscopatum; cum quo et in expeditione Italica existens, apud Papiam moritur et ad Germaniam relatus, in monte veteri juxta parentes tumulatur. Ipse eversit castrum Randerode inimicorum suae ecclesiae. Tertius fuit Bruno de Altena Frederici frater, ex praeposito Bonnensi Coloniensis eligitur archipraesul, post mortem Philippi de Hinsborch; verum paucis elapsis annis venerando admodum senio confectus, Adolpho ex fratre Everhardo nepoti episcopale jugum, papa et capitulo consentientibus imposuit, post tres sui pontificatus annos. Ipse autem monachali cuculla indutus, in abbatia montis veteris devotissimam peregit vitam, ibidem cum parentibus sepultus. Quartus ecclesiae Coloniensis archiepiscopus exstitit Adolphus Everhardi filius, de quo infra. Quintus ejusdem ecclesiae archiepiscopus fuit Theodoricus, sed modico praefuit tempore. Sextus fuit Engelbertus de Marca et Monte, a Frederico comite de Isenborg nepote, crudeliter interfectus. Septimus Adolphus de Marca[370]) in utroque jure Licentiatus, ex Coloniensi et Monasteriensi electo comes effectus fuit Clivensis. Octavus Coloniensis archipraesul exstitit Engelbertus de Marca, ex Leodiensi ecclesia translatus ad Coloniensem, de quo fusius tractabitur in sequentibus.

Wilhelmus Juliae comes armorum peritia clarissimus, multorum virtutum schemate adornatus, genuit ex filia comitis de Seyn, Gerhardum successorem, Richardam Gelriae comitissam et Margaretham Everhardo comiti de Altena sive Marca desponsatam. Is selectis suorum militarium copiis opem tulit efficacissimam Frederico caesari, in debellandis et subjugandis Italis et Mediolanensibus, necnon in correctione Henrici Leonis, superbissimi Saxonum ducis, a quo

369) filius fehlt in B. 2. — 370) Die Worte: et Monte — de Marca fehlen in D.

et ipse gravia perpessus est damna in comitatu Juliacensi, quando Henricus Coloniam forti brachio intercipiens incendit. Auxiliares quoque copias adhibuit Gerhardo Gelriae comiti cum Baldewino de Hollandia Trajectensi episcopo pro Velvae juribus et dominio belligeranti. Ao. 1180.

Comitum de Monte ortus.[371])

Engelbertus de Altena primi comitis Adolphi filius secundo genitus, assentiente et volente Frederico Barbarossa imperatore primus creatur comes de Monte ao. dni. 1155; qui ex filia Henrici Gelriae comitis, et Ottonis sorore Adolphum suscitavit,[372]) absque uxore et prolibus decedentem, Engelbertum quoque Coloniensem archiepiscopum et Margaretham Henrico duci Limburgensi matrimonio sociatam, ex qua prodiit Adolphus comes Montensis tertius. Is denique Engelbertus armorum exercitatione insignis, Friderico imperatori, suoque promotori, auxilia attulit bellica, quando in Mediolanos sibi recalcitrantes procinctum movit, Romamque concessit. In Henricum quoque Saxoniae ducem cum eodem caesare profectus, fortissimum se ubique athletam exhibuit. Moritur autem a. 1192, principatus sui a. 40[373]) in veteri monte sepultus.

Theodoricus IV. comes Clivensis decimus octavus, annis gubernavit 39, Frederico I. et Henrico VI. imperantibus, princeps in Deum et ecclesiam devotus, in subditos clemens, in egenos largus, in bellis victoriosus; cui illustrissima Ida, Godefridi Brabantiae et Lotharingiae ducis filia, Arnoldum sibi succedentem edidit et Adelheidam comiti Hollandiae, Theodorico desponsatam, quae viro binas tantum peperit filias; quapropter Theodoricus hic Cliviae comes, Hollandorum amicitias et ligas deserere noleus,[374]) filium suum Arnoldum matrimoniali fœdere junxit Margarethae Theodorici comitis Hollandiae sorori, resignavitque jus in-

---

371) B. 2. hat den Zuſatz: Primus de Monte comes. — 372) Die Worte: et Ottonis — suscitavit fehlen in H. — 373) Die Worte: a. 1192, princip. sui fehlen in H. und D. — 374) leges deserere volens, H. u. D.

feudandi dominia de Altena et Heusden olim Clivensibus attinentia, quemadmodum in sequentibus[375]) ad amussim declaratum legimus. Ceterum ao. dni. 1164 Theodoricus Cliviae comes emit de abbate Attrebatensi dominia de Rosem, Wolffer et Thyle; sua quoque negligentia et incuria spoliatur per Fredericum I. imperatorem castro et dominio Neomagensi, cum tres scarleti pannos imperio debitos exsolvere iterum iterumque differebat. Otto autem Gelriae comes a Frederico, data maxima auri congerie, Neomagense imperium obtinuit; quod tamen imperatores redimere poterunt. Quapropter Fredericus vicissitudine perfunctus, Baldewino de Hollandia Trajectensi episcopo suppetias tulit, quando Ottoni comiti Velvam armorum viribus ademit. Qui et Friderico imperatori nepoti copias attulit selectas in expugnatione Mediolanensi atque in correctione Henrici Leonis Saxonum ducis potentissimi, imperio rebellantis. Insuper cum Frederico caesare Theodoricus comes Cliviae Syriam petiit, Hierosolimam e Soldani manibus eripere satagente. Ao. enim dni. 1153 Fredericus cognomento Barbarossa a barbae rubedine, in imperatorem Romanorum electus, complanatis et dispositis causis et rebus principum Germaniae superioris, etiam ad negotia Germaniae et Galliae inferioris pacanda et mitiganda descendens, Neomagium venit, cernensque arcem Julianam vetustate quasi et hostium incursione labefactatam et pene consumptam, ilico illam restaurando renovavit, villamque adjacentem, muro, turribus et fossa circumcingens, in civitatem evexit imperialem; ubi et Beatrix regina naturae sarcinam resolvens, Henricum futurum regem Romanorum sibi et regno[376]) peperit. Quibus taliter in Germania compositis, Fredericus imperator, contractis ex omni regione validissimis equitum peditumque catervis, in Italiam diu rebellantem, exercitum transportavit et Mediolanenses ceteris efferaciores[377]) primo invadens, flammis, rapinis occurrentia universa demolitus, quamplurima castella, arces et civitates, illis foedere junctas, intercepit

375) praecedentibus, B. 2. — 376) et regno fehlt in B. 1. H. u. D. — 377) efficaciores, H.

et magna ex parte diruit. Inde recto tramite[378]) per Lombardiam et Thusciam Romam movens, coronam imperii ab Adriano papa percepit; ortaque inter cives et Germanos dissentione et tandem congressione facta,[379]) superantur Romani, mille et quingentis occisis et multis captivatis. Occupatis tandem Romanorum cunctis munitionibus, Spoletum aliasque recalcitrantes civitates captas sibi subegit. Anno autem Dni. 1158[380]) audiens Fredericus imperator secundariam Mediolanensium rebellionem, quodque Gualfrago vicecomite delecto duce, eversa dudum castella reaedificarent, Cumam et Landam, ceterasque imperii civitates demolirentur, resarcitis copiis undique longe validioribus Mediolanum petens, obsidione durissima vallavit, suburbibus exustis et civibus sibi in bello occursantibus in multitudine gravi obtruncatis. Postremo fame et omnium rerum penuria crebrisque impugnationibus lassati cives, cancellarium et principes regales aere et precibus sollicitant, quatenus[381]) apud caesarem iratum commissorum veniam et civitatis liberationem impetrarent. Quorum quidem deprecationibus inclinatus Fredericus, veniam et pacem istis sub conditionibus concessit, quod nobiles et cuncti rectores,[382]) nudis plantis et capitibus ad ipsum in castris venirent et civibus prostratis veniam precarentur et quod ex iis obsides quos vellet accipere posset, quod tributum annuatim penderent, arcemque sibi in urbe quo vellet loco, propriis expensis exstruerent, magistratus et urbis potestatem daret imperator, portas quoque civitatis et muros quando vellet dejicerent. Quibus libenter admissis, Fredericus Mediolanum coronatus ingreditur, principibus ceteris subsequentibus. Quo tempore Mediolani mortuus est Fredericus de Altena Coloniensis archipraesul, cui mox Reinoldus de Dasselen, cancellarius regius, substituebatur ao. dni. 1163.[383]) Orta autem inter duos pontifices summos dissentione, Fredericus totam ecclesiae jurisdictionem, praeter Anaginam et urbem veterem occu-

---

[378]) recto tram. fehlt in H. und D. — [379]) facta fehlt in B. 1. — [380]) 758, B. 2. — [381]) ut, B. 2. — [382]) et rectis, B. 2. — [383]) 1063, B. 2. Rainald wurde 1159 Erzbischof, Quellen I, 178.

pavit. Interea Mediolanenses promissorum immemores, ope Brixianorum et Placentinorum[384]) Coratum castellum obsederunt; quapropter caesar, reducto in Mediolanenses exercitu, congressione cum illis facta, post pugnam cruentissimam regales succumbunt copiae, multis occisis et in captivitatem abductis. Ao. autem dni. 1166 Mediolanenses ope Alexandri papae multorumque principum atque civitatum Italiae, Frederico imperatori denuo recalcitrantes et erecta per ipsum castella diruentes, etiam civitates imperii oppugnare non cessabant. Quamobrem caesar ira incensus, universos[385]) imperii vasallos, principes et amicos implorans ac requirens, coacto in unum selectissimo equitum et peditum exercitu Italiam movit. In quo quidem exercitu isti adfuere principes: Conradus comes palatinus cum fratre, Fredericus et Conradus[386]) Sueviae duces, filii ejus, Guelffo marchio Thusciae avunculus, Henricus Leonis dux Saxoniae et Bavariae nepos, Wenselaus rex Bohemiae, Reinaldus de Dasselen Coloniensis, Hermannus de Katzenellenbogen[387]) Monasteriensis et Emardus Bambergensis episcopi, Bartholdus Carinthiae, Lupoldus Austriae duces, Ludovicus Hassiae Landgravius, Theodoricus Cliviae, Adolphus de Altena, Gerhardus Gelriae comites aliique plurimi comites et barones, quorum auxilio Fredericus caesar innixus, vastatis primo Mediolanensium agris, arboribus et vineis praecisis, necnon et civitatibus conjurationis sociis interceptis, gravissima admodum obsidione Mediolanum obsedit annis ferme septem, quibus currentibus diversi in civitatem assultus, diversaeque factae sunt civium in caesaris castra[388]) eruptiones atque multae congressiones, in quibus nunc regi, nunc civibus victoria cessit. Postrema dehinc desperatione permoti, cives ferme gladio et peste excruciati, toto quo poterant impetu[389]) regales copias impetentes, postquam dubio diu[390]) Marte pugnatum esset, strages edita maxima, victi multitudine,

---

384) Florentinorum, D. — 385) Die Worte: oppugnare — universos fehlen in B. 2. — 386) Henr. et Conr. H. und D. — 387) Calzenelberch, B. 1 und 2. — 388) in cæsaris castra fehlt in H. und D. — 389) conamine D, B. 1. und 2. — 390) deinde, H. und D.

cives campum cum civitate amiserunt. Fredericus vero imperator urbe potitus Gualfragum ducem cum Johanne archiepiscopo et potioribus civibus captos in Almaniam destinavit, urbemque militibus depraedandam atque evertendam concessit, qua incensa [391]) et solotenus aequata etiam aratris fulcari et sale respargi jussit, quod et Brixensibus et Placentinis [392]) fieri voluit. Tunc Reinoldus Coloniensis archipraesul trium regum corpora, a Frederico sibi pro stipendiis data, Coloniam devexit Agripinam, ubi etiamnum hodie totius Germaniae veneratione requiruntur. [393]) Ceterum ao. 1170 Gualfragus vicecomes, a caesareis vinculis dolose erutus, servilique veste ad Mediolanenses profugiens, revocatis civibus undique dispersis, ope Alexandri papae et Graecorum imperatoris, aliarumque nonnullarum civitatum Lombardiae, Mediolanum [394]) ex integro restaurans communivit. Inde omnes imperii devotos, tam Italos quam Teutonicos, vicarios quoque et loca tenentes a Frederico hinc inde ordinatos, una die ejecerunt, alios necantes alios suspendentes, freti papae Alexandri potestate, qui eos a fidelitatis juramento, caesari praestito, jam dudum absolverat, ad cujus honorem Alexandriam construxere civitatem, ut inde alias imperii civitates infestarent. Fredericus imperator his auditis, contractis ex omni gente copiis fortissimis, Italiam movens, Alexandriam novam occupavit et circumsedit mensibus quatuor, sed frustra, cum [395]) Henricus Leonis Saxoniae et Bavariae dux, reprobo actus spiritu, cum mille quingentis [396]) equitibus, invito caesare a castris retrocessit, quem rex ad Cumam [397]) usque secutus et in terram provolutus suppliciter petiit, ne ipsum in tanta calamitate deserens, perpetuae confusioni obnoxium redderet. Sed non exaudivit eum dux superbissimus, magna sua potentia confidens, quapropter Fredericus obsidionem dissolvere et cum maximo honoris et exercitus detrimento, ad Germaniam retrocedere coge-

391) commisit, quam eversam, D. — 392) Florentinis, D. — 393) reperiuntur, D. — 394) Mediolanum fehlt in B. 2. — 395) quoniam, B. 2. — 396) Die Worte: dux — quingentis fehlen in H. — 397) Crunam, H.

batur. Convocato deinceps principum imperialium conventu in Gelenheim, Henricum Leonis nepotem accusavit et trina vice in jus vocavit. Sed ille omnino contumax venire recusavit, quam ob causam de principum consilio Henricum contumacem et rebellem dignitatibus privavit et aliis concessit; nam Angariae et Westphaliae ducatus Philippo de Hinsberg Coloniensi archiepiscopo pro 40 marcarum millibus impignoravit, Bernhardo autem de Aenholt nepoti, Saxoniae ducatum et Ottoni palatino [398]) de Witilisbach Bavariae ducatum concessit. Insuper in suum excitavit commilitium principes quamplurimos, utpote Coloniensem et Maguntinum archipraesules, Godefridum Brabantiae et Lotharingiae ducem, Hassiae Landgravium et Thuringiae Ludovicum, Theodoricum Cliviae, Ottonem Gelriae, Wilhelmum Juliae, Engelbertum de Monte, Everhardum Marchiae, Gerhardum de Aere, Philippum Flandriae, Henricum Seynensem et Theodericum de Hoesteden comites, ceterosque illustres et nobiles militares, quorum omnium vallatus caterva, Saxoniam utramque cremando et depraedando percurrens, interceptis pedetentim oppidis et castris, tandem omnino sibi usurpavit. [399]) Nec otio torpens Henricus, suorum amicorum suppetiis adjutus, Halverstat cum episcopo et nobilibus multis occupavit, Ludovicum Landgravium Thuringiae cum sexcentis cepit equitibus, Coloniam Agrippinam obtinens incendit, omnemque circumjacentem regionem depopulatur. Cumque Otto Palatinus Bavariam sibi a Frederico datam, armorum vi obtinuisset, Henricus superbissimus desperatione motus ad Angliae regem socerum confugit, tribus annis [400]) exulare compulsus, quem tamen caesar postea in gratiam recipiens, Brunswick et Luneborch [401]) illi restituit. Ao. dni. 1187 Saladinus, interfecto clam Horadini [402]) filio sibi commisso et universis illius regnis et provinciis sibi usurpatis, cernensque Christianorum discordiam, cum potissimo 155 millium exercitu, tam equitum quam peditum regnum invasit Hierosolymitanum. Ceterum

---

398) palatino fehlt in H. und D. — 399) vi occupavit, B. 2. — 400) annis fehlt in B. 2. — 401) et Luneborch fehlt in H. und D. — 402) Noradini, H. und D.

Guido de Lisigmaco,[403]) Baldewini regis sororius, cum triginta equitum, quadraginta peditum millibus Saladino apud Tyberiadem occurrens consertoque praelio sanguinolento, victus fuit et captus cum magistro templi,[404]) trucidatis etiam triginta christianorum millibus. Qua siquidem victoria clarus Saladinus, Tyberiadem, Achon, Beritum, Bibliam, Ascalonam pluresque civitates maritimas armis occupavit, dehinc omnia fore tuta considerans, urbem Hierosolymam diuturna obsidione et impugnatione vexatam, in deditionem accepit, ecclesiis et sacris locis profanatis, dempto Domini sepulchro, quod plurimum venerabatur. Nec quiescens Saladinus Antiochiam cum 25 civitatibus, Graecis et Latinis dormientibus et discordantibus, facillime intercepit. Quae nimirum Christianorum clades et defectio, ubi ad aures principum Europae pervenisset, cohortantibus Papa Clemente et imperatore Frederico, ecclesiae tum reconciliato, universi crucem transmarinam devotissime suscipientes, in novam militiam conjurabant ao. dni. 1188. Principes etenim cruce signati exstitere: Fredericus caesar cum Henrico[405]) et Conrado filiis, Otto Burgundiae, Henricus Brabantiae, Bartholdus Carinthiae duces, Henricus Palatinus Rheni, Otto Brandenburgensis, Johannes Badensis, Montis Ferrati[406]) et Moraviae marchiones, Hermannus Hassiae et Thuringiae Landgravius, Theodoricus Cliviae, Otto Gelriae, Florentius Hollandiae, Adolphus de Schawenborch, Walramus de Limborch comites pluresque barones et militares; Monasteriensis, Bremensis,[407]) Osnaburgensis, Misnensis, Pataviensis et Herbipolensis episcopi. Ex Gallia et Anglia, cum selectissimis pugnatorum copiis et classe maxima, convenerunt Philippus Francorum et Richardus Angliae reges cum eorum proceribus. Pisanus itaque archiepiscopus classis italicae ducentarum navium rector, Syriam adnavigans Ptolemaidem sive Achon urbem maritimam[408]) primus obsedit, cui mox affuit classis germanica ex Danis, Nortmannis, Phrysiis, Hollandis et Flandrensibus compacta.

---

403) Lisiguraco, B. 2. — 404) cum magistro templi fehlt in D. — 405) Frederico, B. 1. und 2. — 406) Otto — Montisferrati fehlt in H. — 407) Bremensis fehlt in B. 2. — 408) urbem maritimam fehlt in B. 2.

Fredericus vero imperator cum Germanorum copiis, transito Hellesponto, Iconium usque salvus pervenit; ubi cum in flumine modico sese lavaret, submersus fuit, apud Tyrum sepultus. Inde Christiani profecti, Achonam obsessam fortes obsederunt, terra marique impugnantes, quam et cepere ao. 1191, ubi multi ex principibus ceciderunt. Saladinus autem Christicolarum adventu exterritus, destructis sponte civitatibus maritimis, in Aegyptum confugit, quem cum insectari maturarent Christiani, exorta inter Angliae et Franciae reges dissentione et simultate, ad propria omnes redierunt, cum maximo Christianitatis scandalo et damno.

Quartus Gelriae comes.[409])

Gerhardus Gelriae et Zutphaniae comes quartus, annis rexit 18, uxorem duxit nobilissimam, Margaretham comitis de Sponheim filiam, ex qua tamen nullas excitavit proles. Collegium cum uxore instituit in Wassenborch ubi et requiescunt; grandia[410]) utique bella gessit cum Baldewino de Hollandia Trajectensi praesule, pro Velvae jurisdictione. Cum enim Gerhardus Velvae feudum a Baldewino, ut moris est, minime postulasset, una cum ceteris Trajectensis ecclesiae vasallis imo requirere recusaret, quia a Brabantiae duce illud accepisset, iratus Baldewinus antistes, ope fratrum suorum, Florentii Hollandiae et Ottonis comitis de Bentheim, aliorumque ecclesiae suae vasallorum, valido exercitu Velvam depraedatus, illam a jurisdictione Gelriae comitis diripuit sibique usurpavit. Quapropter Gerhardus amicorum suppetiis et Comitis Juliae Wilhelmi adjutus, Trajectensem impugnans dioecesin, post varia incolis illata damna, Daventriam cinxit obsidione. Verum Fredericus caesar, expeditionem Italicam mente gerens, pacem inter litigantes treugasque[411]) composuit, quatenus istorum principum auxilio frueretur. Interfuit quippe Gerhardus Gelriae comes expeditioni primae, quam caesar in Mediolanenses

---

409) Die Ueberſchrift fehlt in B. 1. H. und D. — 410) Gerhardus, B. 2. — 411) treug. fehlt in H. und D.

reproduxerat. Moritur autem ao. 1180, in Wassenborch reconditus.

Everhardus comes de Altena sive Marcha tertius, annis praesedit 34 cum dimidio. Princeps singulari prudentia, modestia, benignitate et armorum exercitatione insignis; cui clarissima Margaretha, Juliae comitis filia, Fredericum enixa est successorem, Adolphum Coloniensis ecclesiae archiepiscopum atque Everhardum. Quiquidem Everhardus perceptis a genitore castris Lippe, Nienbrugge et Isenborch, primus comes de Isenborch efficitur, genuitque ex sorore ducis Limburgensis et comitis de Monte Fredericum successorem, Theodoricum Monasteriensem et Brunonem Osnaburgensem antistites. Ceterum Fredericus de Altena, comes de Isenborch creatus post patrem Everhardum, ab Engelberto de Altena et Monte patruo, Coloniensi archiepiscopo anathemate notatus, eo quod ecclesiasticam laesisset jurisdictionem, eundem Engelbertum multis confossum vulneribus interemit; quare et ipse captus et Coloniam perductus, ad instar latronis rotatus extitit,[412]) ut latius infra dicetur. Obiit Everhardus comes ao. 1205, in monte veteri sepultus.

Quintus Gelriae comes.[413])

Otto comes Gelriae et Zutphaniae quintus,[414]) annis praefuit 25, cui Richarda Juliae comitis filia, Henricum peperit, teneris annis decedentem, Gerhardum et Ottonem episcopum Trajectensem atque filiam Aleidam Hollandiae comitissam. Is a Frederico imperatore I, cui percharus erat, Neomagensem arcem cum civitate ab ipso innovatam auro multo impignoravit, cum quo etiam in secunda expeditione Italiam petiit, copiis suffultus candidissimis, similiter et in correctione Henrici Leonis clarissimi Saxonum ducis Frederico opem tulit, fortem se bellatorem ubique[415]) demonstrans. Nec his contentus praeliis, Otto comes etiam cruce

---

412) rota occisus fuit, B. 2. — 413) Die Ueberſchrift fehlt in B. 1. H. und D. — 414) quintus fehlt in B. 1. — 415) athletam.

signatus, cum ceteris Germaniae proceribus, Syriam movit, contra Saladinum pugnaturus.

Ao. dni. 1181 Baldewinus de Hollandia, Trajectensis episcopus, terminatis jam treugis a Frederico caesare dudum inter ipsum et germanum Ottonis Gerhardum compositis,[416]) suorum vasallorum multitudine congregata Velvam flammis et praedis vastatam occupavit; indeque ad Zutphaniae comitatum cum exercitu migrans, magna ex parte depopulatus est. E converso Otto comes Gelriae ope Philippi Coloniensis archiepiscopi, Henrici ducis Brabantiae et Engelberti comitis de Monte sororii, commissis in partibus transyssulanis[417]) depraedationibus Daventriam obsidione vallavit, Fredericus vero alteram expeditionem mente gerens, convocatis in Wesalia Baldewino et Ottone, pacis inter eos foedera sancivit, Theodorico Clivensi comite moderante, ita quod Velva Ottoni remaneret integra, donec caesar juris peritorum consilio decerneret, cujus esset jurisdictio major. Ceterum ao. 1197 defuncto Baldewino Trajectensi antistite, duo sunt in schismate electi, utpote Arnoldus de Isenborch praepositus Daventriensis et Florentius de Hollandia, archidiaconus Trajectensis. Verum quia Otto Gelriae comes Arnoldo adhaesit, Theodoricus Hollandiae comes, Florentii electi frater, bellum cum Ottone sopitum resuscitavit, Velvamque depraedando ingressus; cui cum Otto comes cum suis cohortibus occurrisset, conserto in monte Heymonis praelio, victoria arrisit[418]) Theodorico, multis Gelriensibus captis et occisis. Iterum ao. dni. 1199 Otto comes Gelriae, ope Hollandiae comitis sibi reconciliati, adversus Theodoricum de Aere Trajectensem episcopum et Henricum Brabantiae ducem in Huisden, in acie decertans, victus et captus fuit, cum Hollandiae comite adjutore, multoque aere redemptus. Ipse etiam a capitulo Embricensi tutor et villae dominus decretus exstitit, ut illius jura erga nobiles vicinos tutaretur. Moriens autem

---

416) terminatis jam bellis a Frederico caes. int. ips. et Hermannum Ottonis Gerhardum compositis. H. — 417) transosculanis, H. — 418) cessit B. 2. H. und D.

ao. dni. 1205, in Campensi abbatia cum uxore[419]) decentissime sepelitur.

Arnoldus comes Clivensis 19, dominatus est annos 10, Ottone et Philippo in schismate imperantibus. Genuit ex illustrissima Florentii Hollandiae comitis filia Arnoldum, sibi in principatu succedentem. Ipse partes fovit Ottonis Saxoniae ducis contra Philippum Suaviae ducem simul in schismate electos imperatores, ao. enim dni. 1198 defuncto Henrico imperatore VI. convenientes in Mulhusen principes electores, bifariam sese diviserunt.[420]) Nam Coloniensis et Moguntinensis archiepiscopi, rex Bohemiae et Palatinus Rheni comes Ottonem filium Henrici Leonis Saxoniae ducis, comitem tunc Pictaviensem;[421]) residui vero elegerunt[422]) Philippum Sueviae ducem, filium Frederici Barbarossae imperatoris, factaque est imperii scissura maxima et multiplicata sunt mala in terris, rapinae, depraedationes, bella cruentissima, provinciarum et monasteriorum devastationes et alia plurima his consimilia; principibus et civitatibus imperii nunc ad hunc, nunc ad illum declinantibus ac sese lacerantibus. Philippus denique Ottonem adhuc in Anglia existentem praeveniens, Aquisgranum obtinuit, militum praesidio ibi derelicto. Otto depost cum Gallicis et Anglicis adveniens, Aquisgranum obsedit armisque occupavit, coronam imperialem ab Adolpho de Altena sive Marcha, Coloniensi archiepiscopo accipiens; cui mox adhaesere Henricus dux Brabantiae, Otto comes Gelriae, Arnoldus Clivensis, Wilhelmus Juliacensis et Fredericus de Altena comites, aliique plures et principes et civitates. Philippus vero coronatus est non a Coloniensi episcopo ut moris est, neque Aquisgrani, sed Moguntiae a Tarentasiensi antistite, praesentibus papae legatis, qui ad hoc missi non erant ut Philippum juvarent, sed ut ejus electionem impedirent atque cassarent. Considerabat nempe summus pontifex Innocentius III. quanta mala, persecutiones injuriasque pater ipsius Fredericus imperator ecclesiae dei, summis pontificibus, clero et populo dei[423]) devoto inges-

419) cum uxore fehlt in B. 1. — 420) diciserunt, H. — 421) Pistaniensem, H. — 422) reliquerunt, H. — 423) papæ, B. 1. u. 2.

serat, veritus ne filius genitorem insectaretur, quemadmodum in Tuscia et Germania inceperat,[424]) idcirco Philippi electionem denuo cassavit.[425]) Philippus enimvero[426]) armis nancisci volens quod jure non potuit, recollecta principum et civitatum sibi deditarum manu validissima, Alsatiam, Thuringiam, diocesin Coloniensem et Moguntinam ferro, flammis et caedibus percurrens, universos coègit principes et civitates, quatenus Ottone abdicato, fidelitatis omina[427]) sibi praestarent. Adolphum quoque Coloniensem archiepiscopum, Andernaci ad se vocatum, minis et pollicitationibus eo pellexit, ut Ottone rege ab eo coronato posthabito, ipsum Aquisgrani in Romanorum regem coronaret; principes quoque memoratos Brabantiae, Cliviae, Gelriae et Juliae ad Philippi partes, Ottone relicto reduceret. Quamobrem papa Innocentius Adolphum de Altena dignitate privavit episcopali, Brunone de Segenbach[428]) instituto. Cernens itaque Philippus Adolphum de Altena sua gratia spoliatum, potissimo suorum foederatorum exercitu, Coloniam cum Ottone rege et Brunone episcopo obsidione vallavit. Otto vero aliquamdiu cunctatus, cum 400[429]) equitum et peditum duobus millibus Philippi castra invasit, consertoque in Wassenborch praelio ancipiti succubuit, multis suorum captis et interemptis. Nec solum Otto rex hic victus fuit, sed etiam in aliis quibuscunque conflictibus, cum Philippo initis, semper praevalente; ita ut et Otto illius fortunam admiraretur.

Anno autem dni. 1207 principes imperii Innocentium papam,[430]) per legatos Romam missos, devotissime supplicaverunt, quatenus desperatis Germanorum rebus consulens, per legatum ejus, inter reges in schismate electos, pacem ordinare et adinvenire dignaretur.[431]) Cernens nimirum papa Philippi fortunam, partesque ejus quotidie augeri et Ottonis decrescere, mutata animi sententia, Hugolinum cardinalem Ostiensem ad Germaniam destinavit, qui regum et principum

---

424) imperat, H. — 425) omnino ab imperio cassatur, B. 2. — 426) autem, B. 2. — 427) omnia, B. 2. und H. — 428) de Gegenbach, H.; beides iſt unrichtig, Bruno IV. war ein Graf v. Sayn. Quellen I, 185. — 429) 300, H. und D. — 430) Innocentium papam fehlt in B. 1. — 431) dignatus est, H. und D.

dieta in Northusen convocata, pacis optatae remedia adinvenit, sic quod Philippi filia Ottoni daretur uxor et Philippus imperio potiretur, sed Philippo decedente Otto imperium assequeretur; quod ita evenit. Nam anno sequenti Philippus cæsar, post venae incisionem somno pomeridiano depressus, ab Ottone de Witilisbach in Bamberga clam trucidatur et Otto Saxoniae dux ab electoribus imperator decretus est.

Fredericus Everhardi filius comes de Altena quartus, annis rexit 15 genuitque ex filia Hannoniae comitis Elisabeth: Adolphum sibi in dignitate comitantem.[432]) Is denique Adolphus fortissime tutatus est partes Ottonis Saxonum ducis, in Romanorum regem in schismate electi erga Philippum Sueviae ducem, a quo et damna accepit[433]) grandia, quando Saxoniam ferro flammisque depraedabatur. Porro his diebus Coloniensi praefuit ecclesiae Adolphus de Altena sive Marcha germanus, qui in Romanorum regem cum tribus aliis electoribus elegit Ottonem Saxoniae ducem, ceteris Philippum Sueviae ducem eligentibus; quem etiam Ottonem ab Innocentio III. papa confirmatum, in Romanorum regem coronavit[434]) Aquisgrani, inferioris Germaniae proceribus assistentibus. Verumtamen depost exorta inter reges electos dissentione gravissima, cum bellis et provinciarum devastationibus, ut dictum est, Adolphus Coloniensis archiflamen armis et metu et aere[435]) multo, ut fertur, mutatus in virum alterum, Philippum Suevorum ducem in Romanorum regem coronavit apud Aquisgranum, Ottone primum coronato posthabito. Quapropter ab Innocentio summo pontifice excommunicatus et depositus fuit, Brunone de Segenbach[436]) Coloniensi archidiacono substituto. Iratus exinde rex Philippus,[437]) selectis militum copiis invadens diocesin Coloniensem, Bonnam, Remagen, Nussiam aliaque oppida et castra armorum vi occupata Adolpho[438]) praesuli contribuit.[439]) Nec multo post, devicto in Wassenbergensi bello rege Ottone,

---

[432]) sibi succedentem, B. 2. — [433]) perpessus, B. 2. — [434]) confirmavit, H. — [435]) et ære fehlt in H. und D. — [436]) S. die Note 428. — [437]) Philippus fehlt in H. und D. — [438]) Arnoldo, B. 2. — [439]) Concubuit, H.

Philippus Coloniam in deditionem accipiens, Adolphum sui gratia depositum restituit, Brunone a papa constituto, in vinculis conjecto. Iste praesul Adolphus aedificavit castra Lantzcrone super Arae fluminis oram atque Isenborch Rurae incumbentem, quod Eberhardo fratri suo primo comiti de Isenborch assignavit. Ceterum Philippo caesare apud Bambergam occiso et Ottone imperatore reelecto, Adolphus denuo episcopatu privatus,[440]) acceptis annuis 400 marcis, superstites vitae dies in pace finivit Anno dni. 1208. Cui in praesulatu Bruno de Segenbach,[441]) ex Philippi vinculis erutus, substituebatur. Cui Theodoricus de Altena et Monte, primi comitis Montensis germanus subrogatus exstitit, vir ob excellentes[442]) animi dotes[443]) cunctis acceptissimus; sed ob excessivas cleri et populi exactiones et onera imposita, universis odiosus,[444]) ut fieri consuevit, effectus,[445]) imposito sibi symoniacae pravitatis crimine, depositus fuit, assignatis illi pro vitae sustentatione 400 marcis annui census. Ipse erexit arcem Godesberch ex bonis judaei cujusdam, ob crimina in christianos exacta, obtruncati ao. 1209.

Anno dni. 1204 migrante a saeculo comite Hollandiae Theodorico, Arnoldus comes Clivensis sororius ejus bellare cogebatur adversus Wilhelmum de Hollandia, Theodorici defuncti germanum et orientalis Phrysiae dominum, qui Adam[446]) et Adelheidam ex sorore neptes et Theodorici Hollandiae comitis filias, comitatu Hollandiae privare moliebatur.[447]) Ludovicus comes quippe Lossensis, qui Adam primo genitam uxorem habebat, Hollandiae comitatum sibi cum uxore devolutum ocius usurpavit. Satrapae vero et civitates potiores Wilhelmum orientalis Phrysiae comitem ceu heredem masculinum accipientes, in dominum elegerunt, qui mox ope Ottonis Gelriae comitis, cujus filiam Aleidam uxorem habuit,[448]) Hollandiae comitatum facile sibi vindi-

---

[440]) exuitur, B. 2. — [441]) S. Note 428. — [442]) excessivas, H. und B. 1. excelsissimas, D. — [443]) virtutes, B. 2. — [444]) omnibus invisus, B. 2. — [445]) redditur. — [446]) Idam, D. — [447]) nitebatur, B. 2. — [448]) Die Worte ope — habuit, fehlen in H.

cans, Ludowicum cum uxore patria pepulit. Ille autem animo et viribus resumptis, ope Arnoldi Cliviae comitis, Hollandiam flammis caedibus et devastationibus[449]) tam diu afflixit, donec amicorum moderatione[450]) competentem principatus partem a Wilhelmo percepisset.

Arnoldus comes Clivensis 20, annis gubernavit 10, Frederico II. imperante; vir in deum devotus, in egenos largus, in subditos clemens atque in bellis victoriosus. Cui nobilissima Catharina, Henrici ducis Limburgensis et comitis de Monte filia, Theodoricum peperit successorem. Is cum Frederico II. imperatore, multisque Galliae, Germaniae atque Italiae proceribus in Syriam profectus est, adversus Saracenos et Turcas, terrae sanctae occupatores, pugnaturus, ubi et interiit pro fide catholica fortissime decertans[451]) ao. 1221. Etenim ao. 1218 inductione papae Honorii ac Frederici imperatoris, Syriam migrarunt cum exercitu selectissimo principes isti: Andreas rex Hungariae, Lupoldus Austriae, Henricus Brabantiae, Ludowicus Bavariae duces; Walterus camerarius regis Franciae, Baldewinus Flandriae, Henricus Namurcensis, Henricus s. Pauli,[452]) Henricus Nivernensis, Arnoldus Clivensis, Gerhardus Juliacensis, Gerhardus Gelriae, Henricus de Monte, Lossensis, de Nassawe, de Spanheim et Seyn comites; Moraviae quoque, Badensis et Montisferrati marchiones; Siffridus Maguntinensis, Otto de Benthem Monasteriensis, Leodiensis, Herbipolensis, Argentinensis, Bambergensis, Patavinus et Eystatensis episcopi. Isti omnes cum Pelagio, apostolicae sedis legato, Syriam applicantes Damiatam[453]) urbem praepotentem, Niloque flumine circumcinctam, obsidione vallarunt, quam et inedia, pestilentia, multisque impugnationibus attritam et desolatam, anno sequenti ceperunt. Consilio insuper inito de ulteriori in Aegyptum profectione, Joannes rex Jerusalem censuit non esse progrediendum, propter instantem Nili exuberantiam ad interiores Aegypti regiones. Legatus autem

449) rapinis, B. 2. — 450) interventu, B. 2. — 451) dimicans, B. 2. — 452) H. s. Pauli und H. Nivern. fehlen in B. 2. — 453) Barmmatam H. Bainmalam D.

apostolicus contrarium definivit; cujus sententia praevalente, candidissimus[454]) cruce signatorum exercitus, ad ulteriora Aegypti loca movens, post duos menses aquis Nili per totam Aegyptum discurrentibus adeo coarctatus et circumdatus est, quod nec procedere nec retrocedere potuerat, neque victualia inferri[455]) poterant; quare cum Saracenorum soldano componentes Christiani, Damiatam restituerunt ao. 1221.

Engelbertus de Altena, primi comitis Montensis Engelberti filius, Coloniensis ecclesiae creatur Archiepiscopus ao. dni. 1216. Ipse Fredericum II. imperatorem elegit et coronavit Aquisgrani, qui et filium ejus Henricum sibi commendavit, imperii quoque vicarium ultra Alpes instituit. Cumque status ecclesiastici reformationi toto conamine insisteret, juraque ecclesiae adversus principes et nobiles quoscunque defensaret, a nepote suo Frederico comite de Isenborch multis confossus vulneribus, glorioso coronatur martyrio; eo quod ipsum excommunicaverat, quia Essendiensis bona monasterii violenter rapiens detineret, neque restituere vellet ao. 1225. Tali quoque[456]) mortis genere periturum praedixerat Engelbertum praesulem, Conradus Portnensis cardinalis, dum in Germania legationis officio fungeretur. Cujus quidem facinoris conscii et conspiratores fuere:[457]) Theodoricus Monasteriensis et Bruno Osnaburgensis episcopi, Frederici fratres, quos Honorius papa dignitatibus privatos perpetuo condemnavit exilio. Fredericus vero sceleris patrator, velut Cain profugus in terra existens, cum ad Henricum ducem Limburgensem avunculum suum confugere vellet, a Baldewino comite de Gennep interceptus, Gerhardo Gelriae comiti, avunculo Engelberti praesulis destinatur; quem cum Coloniam perduxisset, extra portam s. Severini rotatus ad instar latronis in columna lapidea peralta exaltatus fuit, quemadmodum mater ejus,[458])

---

[454]) candidissimus fehlt in H. und D. — [455]) Die Worte potuerat — inferri fehlen in H. — [456]) inquam, H. B. 1. und 2. — [457]) fuere fehlt in H, D, und B. 2. — [458]) mater ejus fehlt in D.

in visione[459]) dum adhuc ipsum in utero gestaret, praeviderat. Deinde Henricus de Molenarck, Engelberti in praesulatu successor et mortis severissimus vindex, ope Henrici ducis Brabantiae, Gerhardi Gelriae, Theodorici Cliviae, Gerhardi Juliae et Adolphi Marchiae comitum, castra Frederici occisoris munitissima: Isenborch et Nienborch solo aequavit. Inde comites de Lippia et Teckeneborch, Frederici cooperatores ac conspiratores in praesulis necem, invadens, exustis illorum villis et nemoribus praecisis, castrisque aliquibus captis et dirutis, patria pepulit; qui tamen depost Henrico antistiti reconciliati, duo exstruere monasteria promiserunt.[460]) Sederat autem Engelbertus in episcopatu annis 10, episcopale onus in propria persona perficiens; cum enim ecclesiam monasterii de Gevelsberg consecrasset, clericos et non milites secum ducens, a Frederico nepote armato interfectus fuit.

Gerhardus comes Juliacensis bellicossimus, ex filia comitis a Schawenborch Wilhelmum genuit successorem, filiamque Margaretham, Adolpho comiti Montensi desponsatam.[461]) Ipse Ottoni Saxoniae duci electo in imperatorem adhaesit primo, sed Philippo Sueviae duci etiam a nonnullis electo, adversus Ottonem praevalenti, deserto Ottone rege, suffragium praestitit, sicut et ceteri principes viciniores fecerunt, quare ab Ottone denuo, post mortem Philippi, reelecto[462]) damnificatus. Hinc cruce signatus et fidei devotione incalescens, in Syriam cum ceteris Germaniae proceribus profectus est, auxiliares quoque copias dedit Henrico de[463]) Molenarck Coloniensi archiepiscopo, quando Fridericum de Altena, comitem de Isenborch, Engelberti praesulis occisorem, ejusque complices armis exturbavit ao. 1227.

---

[459]) in visione fehlt in B. 1. H. und D. — [460]) Der Graf Otto v. Tecklenburg dotirte in unserem Westfalen die Klöster Himmelpforten und Paradies. Fider Engelbert d. heil. 274 und Seiberts Urk. Buch I, Nr. 270. — [461]) nuptam, B. 2. — [462]) reelecto fehlt in H. und D. — [463]) Die Worte: profectus — Henr. de, fehlen in H.

Secundus de Monte comes.[464])

Henricus dux Limburgensis et comes de Monte secundus, annis praefuit 18. Cui Margaretha Engelberti comitis primi de Monte filia, Adolphum peperit atque Ermgardim, Raynaldo comiti Gelriae desponsatam. Defuncto quippe Adolpho Montensi comite uxoris suae germano absque liberis, comitatum adeptus est Montensem cum uxore sua, filia[465]) unica, sibi[466]) devolutum; quem cum annis 18 optime gubernasset, Adolpho filio suo primogenito resignavit ao. 1210. Genuerat equidem Henricus et alias proles ex conjuge prima, ducis Bavariae filia, Walramum scilicet atque Catharinam comitissam Clivensem et Margaretham Godefridi ducis Brabantiae uxorem. Ceterum extincto Frederico comite de Isenborch, ex sorore nepote, aedificavit super Ruram[467]) castrum Limborch pro pronepote ejus Frederico, Frederici extincti filio, quem dominum ibi constituit, bella gerens[468]) contra Adolphum Marchiae comitem, qui castra et villas, comitatus de Isenborch magna in parte occupaverat; sed parum profecit, quia clavum de Herculis fortissimi manibus extorquere magni viri est opus et ingens labyrinthus. Fredericus enim caesar imperiali banno proscripserat Fredericum comitem de Isenborch cum tota ejus progenie, bonaque illorum publicata universis occupare[469]) volentibus libere dedit et permisit.

Gerhardus Gelriae et Zutphaniae comes 6tus annis rexit 27, genuitque ex Richarda comitis de Nassawe filia, Ottonem et Henricum Leodiensem episcopum electum et confirmatum. Ipse Gerhardus Gelriae comes, Ottoni Romanorum regi electo contra Philippum assensum praebuit, quare a Philippo gravia damna perpessus est.[470]) Cum denuo Philippo praevalente Ottonem deseruisset, sicut et ceteri principes, iterum ab Ottone in regem reassumpto,

---

464) Die Ueberſchrift fehlt in B. 1. H. und D. — 465) filia fehlt in H. und D. — 466) sibi fehlt in B. 1. und 2. — 467) Limburg wurde an der Lenne gebaut, welche bei Hohenſyberg in die Ruhr fließt. — 468) belligerans, B. 2. — 469) capere, D. publicare, H. — 470) accepit, B. 1. H. und D.

rursus damnis affectus est. Obtinuit autem a Frederico II. imperatore, quod telonia patri suo Ottoni, Gelriae comiti concessa, ab Arnhem in arcem Lobeth prope Embricam transferre liceret, ubi Rhenus se dividens, Walam a se rejicit. Cumque eo tempore Otto de Lippia, Trajectensis episcopus, universam in Zalland jurisdictionem occupasset, Gelrienses quoque exactionaret, quasi sui juris essent, commotus proinde Gerhardus comes, episcopi gentes[471]) cepit in ditione sua, eorumque bona arrestavit et confiscavit. Quamobrem Otto praesul, ope Monasteriensis episcopi, Velvam pervadens, plures exussit civitates, villas, praedamque tulit maximam. Viceversa[472]) Gerhardus Gelriae comes, ut damna damnis compensaret vicemque hostibus redderet, assistentibus sibi Walramo duce Limburgensi, Florentio Hollandiae et Henrico de Seyn[473]) comitibus, diocesin depopulabatur Monasteriensem, maxime circa Borcklohe,[474]) ubi congressione cum Monasteriensibus facta, succubuit, multis suorum captis et trucidatis. Inde resarcitis copiis, Trajectensem invadens diocesin, gravissima praesuli damna ingessit. Tandem Conradus cardinalis Portinensis, papae legatus, inter litigantes pacem statuit, ita quod comes Gelriae jus suum in Zallandt habitum, episcopo resignaret, iterum episcopus jus suum in Altinensi villa praetensum, comiti Gerhardo restitueret. Accidit ao. dni. 1222. Deinde cum Ottone praesule Trajectino, adversus rebellantes Twentones[475]) fortiter pugnans, captus fuit cum Ottone comite de Benthem, multisque aliis militaribus. Insuper Henrico Coloniensi praesuli auxiliares destinavit copias, in extirpatione comitis de Isenborch, qui avunculum ejus Engelbertum archiepiscopum occiderat, quem et Coloniam morte plectendum transmisit. Bellavit etiam in exordio sui principatus contra Henricum Brabantiae ducem, a quo captus fuit et tribus marcarum millibus redemptus. Huic Henrico duci reconciliatus, cum eodem bellavit adversus Hugonem Leodiensem episcopum,

---

[471]) Statt episcopi gentes hat H. exigentes. — [472]) Universa, H. und D. — [473]) Hien, H. — [474]) Vorckloe, B. 2. — [475]) Trentones, B. 2. Teutones, H. und D.

captaque fuit civitas Leodiensis per ducem et militibus permissa ad depraedandum. Moritur autem Gerhardus Gelriae comes ao. dni. 1230, sepultus apud moniales Ruremundae ab ipso et conjuge fundatas, ubi et Richarda comitissa effecta monialis, in abbatissam praelata fuit, quae et paulo post defuncta, juxta maritum sepulta extitit ao. 1241, mulier virtute et sanctitate refulgens.[476])

Theodoricus comes Clivensis 21mus, annis dominatus est 24, Frederico II. imperatore; princeps singulari prudentia, pietate et clementia insignis, et ad bella doctissimus, uxorem duxit Mechtildem unicam comitis Dinslackensis filiam, ex qua Theodoricum suscitavit sibi in principatu[477]) succedentem; cum qua et comitatum illum dotis jure accepit,[478]) Frederico imperatore consentiente feudumque concedente. Ceterum quoniam totus erat bellicosus et torneamentorum[479]) insectator, cum apud Corbeiam Galliae, in torneamento fortissime pugnaret, cernens Florentium Hollandiae comitem a Claromontensi comite transfixum, mox nepotis necem vindicaturus,[480]) comitem illum hasta peracuta impingens, similiter confodit; Nivellensem quoque comitem, eam ob causam se invadentem, e campo ocius fugavit; quamplura denique et ardua cum principibus diversis bella gessit, quibus vel sanguine vel fœdere conjunctus erat. Nam Ludolpho de Holte Monasteriensi episcopo, auxiliares destinavit copias adversus viduam de Vevelinghoven.[481]) Irata proinde, filios suos, Flandriae et Gelriae comitum aulicos, in Ludolphi praesulis persecutionem concitavit; qui tamen paratus erat damna illata restituere. Illi autem elati, bella magis quam pacem appetentes, ope praefatorum comitum diocesin afflixere Monasteriensem, damna potissima miseris inferentes.[482]) Quapropter Ludolphus antistes, ope comitum de Marka et Clivis, invasores suos et hostes fortiter aggressus, conserto invicem proelio et victoria potitus,

476) ao. 1241 — refulgens fehlt in H. und D. — 477) Die Worte: filiam — principatu fehlen in H. und D. — 478) suscepit, B. 1. percepit, H. und D. — 479) tormentorum, H. — 480) vindicans, H. und D. — 481) Memelichoven, B. 2. Nevelinghove, H. und D. — 482) Die Worte: monaster. — inferentes fehlen in H.

multis captis et occisis, filios etiam domus prædictæ belli auctores interceptos, decapitari jussit. Deinde cum Ottone de Lippia Trajectensi antistite, bellavit Theodoricus hic Cliviae comes adversus rebellantes Twentones.[483]) Nam ao. dni. 1225 Otto Trajectensis episcopus, cum pacis foedera ordinasset inter Rudolphum dominum de Covorden[484]) et Egbertum Groningiae praefectum, suos vasallos sub poena amissionis rerum et corporum (convocans), recedente Ottone Rudolphus[485]) Groningiam occupavit. Commotus[486]) proinde Otto praesul, vasallos ecclesiae suae et defensores vocavit et requisivit, quatenus auxiliares sibi copias adducerent, ad elati hujus vasalli superbiam edomandam. Igitur Florentius Hollandiae, Theodoricus Cliviae, Gerhardus Gelriae, Baldewinus de Benthem comites, cum selectissimis copiis, Ottoni praesuli opem ferentes, arcem Covordensem obsidione cinxerunt. Erupit autem ex arce Rudolphus paucis cum Twentonibus praesulis castra lacessens, non ad pugnandum, sed ad eliciendum ad paludes et fossas eo in loco defossas et militibus ignotas. Otto denique antistes, cum selecto suo exercitu Twentones ex dolo fugientes insecutus, altis immersus paludibus et fossis abditis, cecidit cum 400 viris, qui armorum gravitate paludibus infixi, nedum a rusticis, sed a mulieribus[487]) diverso mortis genere sunt interempti. Cumque Ottonem praesulem a ceteris derelictum, limoque infixum viderent, post illatas blasphemias, sacram capitis coronam ensibus detrahentes, tandem occiderunt. Capti sunt multi militares cum comitibus de Gelria et Benthem, quos statim armis liberaverunt. Wilibrandus etenim de Oldenborch Paderbornensis episcopus, ad ecclesiam Trajectensem delatus, recollectis vasallorum praefatorum omniumque amicorum suorum copiis, castrum Coverden, diutina obsessione compressum, cepit cum Rudolpho domino et litisfautore,[488]) quem cum Henrico de Ramesdorp[489]) milite rotari fecit,

---

[483]) Trentones, B. 2. Treulus, H. Teutrones, D. — [484]) Conordem, H. und D. — [485]) Rudolphus fehlt in H. und D. — [486]) comitatus, H. und D. — [487]) non solum a rust. sed etiam, B. 2. — [488]) satore, B. 2. — [489]) Gravesdorp, B. 2. Granesdorff, H. und D.

ceu latrones, ceteros in arce repertos decollari residuos Twentones fuga delapsos proscripsit. Cetera autem Twentonum multitudine indulgentiam postulante, datis episcopo tribus marcarum auri millibus, recepti sunt in gratiam, illo potissimum adjecto, quod ipsi monasterium exstruerent expensis communibus, pro felici trucidatorum requie, sicque constructum fuit monasterium Swartewater haud longe a Swollis ao. dni. 1228.[490]) — Porro anno sequenti Theodoricus Cliviae comes, in hereticos Stadingos cum multis principibus belli procinctum movit. Erant isti cives de Staden civitate ducis Bremensis, qui vesano permoti spiritu, universa fore communia dicebant, neque principibus obtemperandum, neque tributa neque servitia illis impendenda, sed soli Deo. Censuras et indulgentias ridebant et sacramenta[491]) ecclesiae vilipendebant; quibus plures civitates et villae etiam nobiles atque principes nonnulli adhaesere et auxiliati sunt. Gerhardus itaque de Lippia Bremensis archipraesul, suorum fratrum et amicorum copiis adjutus, haereticorum terram invadens, ferro et flammis omnia devastavit, consertoque proelio superatur[492]) praesul, fratribus suis cum nobilibus multis dire trucidatis. Cernens tandem papa Gregorius IX. haereticorum multitudinem quotidie augeri, nec Bremensem episcopum posse solum resistere, crucem contra illos praedicari fecit per Germaniam inferiorem, cum plenaria jubilaei gratia, dimicari volentibus contra illos. Itaque Lupoldus Austriae, Henricus Brabantiae duces, Florentius Hollandiae, Theodoricus Clivensis, Adolphus Montensis, Wilhelmus Juliae et Borchardus de Oldenborch comites, Bremensis, Monasteriensis episcopi, multique barones, milites et nobiles cruce signati, potissimo conglobato exercitu, terra marique hæreticos impugnabant, et primo Oestlandiam[493]) igne et devastationibus pervagantes, quingentos viros cum uxoribus et parvulis peremerunt. Hinc contra Staden oppidum castra metati,[494]) vastatis agris et villis exustis, occursantes viros cives in bellum laeti excèpere, congressione autem saevis-

490) 1238, H. — 491) ornamenta, H. — 492) trucidatur, H. u. D. — 493) Deslandiam, B. 2. — 494) moventes, B. 2.

sima peracta, superati sunt Stadingi et civitas capta, omnesque cujuscunque status, sexus vel aetatis homines, ad unum usque trucidati, ne pestiferum illorum semen in terris remaneret. Accidit caedes ista ao dni. 1234 ubi et Borchardus de Oldenborch multique cruce signati cecidere. — Theodoricus Cliviae comes etiam adjuvit Henricum de Molenarck Coloniensem archiepiscopum, in correctione Frederici comitis de Isenborch suorumque complicum,[495]) de quibus supra dictum est.

Adolphus Henrici ducis Limburgensis filius, comes de Monte 3^tius^ a patre decretus fuit ao. dni. 1210. Hinc est quod comites de Monte successores, usque hodie non fungantur armis de Altena sive Marcha, unde orti sunt comites primi, sed Limburgensium ducum, leone scilicet rubeo coronato, caudaque bifulcata. Genuit vero Adolphus, ex filia Gerhardi Juliae comitis Margaretha formosissima, Adolphum et Wilhelmum mutuos successores, Conradum Monasteriensem episcopum et Adolphum dominum de Windeggen, qui ex Agnete de Marcha Adolphum edidit, de post comitem de Monte, unamque edidit filiam Adolphus Cunigardam[496]) Marchiae comitissam. Ceterum quia armorum peritia clarebat, opem attulit haud contemnendam Henrico archiepiscopo Coloniensi, adversus nepotem Fredericum de Isenborch, justitiam sanguini anteponens.[497]) Inde fidei catholicae calore succensus contra Stadingos haereticos, ut diximus, fortissime decertavit. Demum ao. 1243 convocato apud Nussiam torneamento militari, pluresque principes et militares comparentes, inito conflictu, ex ludo seria res[498]) et ex torneamento gravissimum oritur bellum, diabolo procurante; ubi Adolphus iste comes Montensis, comes Lossensis, Everhardus primogenitus de Marcha cum 366 militaribus et clientibus animadversi sunt et cecidere, pluresque in vesaniam atque languores perpetuos prolapsi sunt.

---

495) complurium, H. und D. — 496) Ermgardim, B. 2. — 497) justitiam sanguinei interponens, H. Die Worte fehlen in D. — 498) series, B. 2.

Comes de Marca quintus.[499])

Adolphus de Marcka comes 5^tus genuit ex filia comitis Lossensis Gerhardi, Everhardum, Engelbertum, Gerhardum atque Ottonem. Everhardus in torneamento apud Nussiam tento occubuit; Engelbertus patri successit; Gerhardus Monasteriensis creatur episcopus; Otto autem praepositus effectus est Leodiensis et canonicus Trajectinus. Iste Adolphus comes, nomen de Altena hactenus usurpatum et a parentibus[500]) traductum et a Frederico de Altena, comite de Isenborch, maxime contaminatum abdicare et obliterare desiderans, empto sibi castro Marcka a Rabbodo illius domino, comitem de Marcka se deinceps scripsit et nominari voluit. Cumque reliquiae et superstites subditorum nepotis Frederici de Isenborch exterminati ad ipsum confugerent, novas colonias exposcentes, oppidum Hamme inter Lippiam et Amasim flumina condidit atque castrum Blanckenstein[501]) super Ruram aedificavit. In quibus locis reliquias et advenas comitum de Isenborch et Lippiae habitare permisit ao. dni. 1228. Ceterum Fredericus, Frederici filius, ex arce Limborch, ab Henrico duce Limborgensi et comite de Monte super Ruram (Lennam) aedificata, sibi concessa, Adolpho comiti Marchiae hostiles tetendit insidias. Nam una dierum, amicorum suppetiis fultus, Fredericus Marchiae comitatum invadens, villam Henesnen Druisbeck[502]) et Hertvelde exspolians et incendens, cum praeda potissima ad propria remeare maturavit. Divisa ergo illius acie cum praedis, superveniens subito, Adolphus, animose in hostes prorumpit, consertoque prœlio victor evasit, multis nobilibus interceptis, pro quorum redemptione ingentem auri vim conquisivit. Accidit casus ipsorum prope Wienbrugk[503]) a. d. 1232. Nec quiescens Fredericus de Limborch, auxilio Montensium, comitis de Lippia et Stenvordia, Marchiae terram ultra Ruram praedando et cremando[504]) pervasit. Sed Arnoldus, Hermannus et Theodoricus de Swarte fratres et Adolphi

---

499) Die Ueberſchrift fehlt in B. 1. H. und D. — 500) præsentibus, B. 2. — 501) Wanckenstein, B. 2. — 502) Gieleknen, Duisberg, H. Hſchr. — 503) Wyenbrugge, B. 2. — 504) armando, H. und D.

militares, contractis tumultuarie equitum copiis, hostes longe fortiores impugnantes, victoria potiti 60 equites fusos ceperunt. Dehinc Adolphus comes dominum de Wildenborch cum multis equitibus fudit et cepit in monte Garsebrach [505]) prope Hersteden. Obiit vero Adolphus a. D. 1249 in vigilia Petri et Pauli apostolorum.

Theodoricus hujus nominis VI., comes Clivensis 22^dus^, annis praefuit 18, temporibus Frederici, Wilhelmi et Richardi imperatorum, princeps non infima laude dignus, si in eo clementiam, liberalitatem,[506]) magnificentiam, in Deum pietatem, crebrasque in bello partas victorias ad amussim pensitemus. Cui illustrissima Godefridi Brabantiae et Lotharingiae ducis filia Isabella,[507]) Theodoricum successorem, Margaretham atque Mechtildem filias enixa est.[508]) Margaretha Ottoni Gelriae comiti nupta, nullas excitavit proles, cum quo tamen illustrium virginum abbatiam in valle comitis prope Goch exstruxit, ubi et in choro decedentes pariter tumulati sunt. Mechtildis autem Ludowico Hassiae landgravio desponsata, inter ceteras utriusque sexus proles Ludowicum genuit praesulem Monasteriensem, virum utique moribus, scientia et virtutibus clarissimum. Is Theodoricus Cliviae comes, Conrado de Hoesteden Coloniensi archiepiscopo annuit, quod Dorstense castellum, uti commune et indivisum jus habebant, è villa in civitatem erigere queat; sic tamen, quodsi inter Clivenses et Colonienses guerrae et[509]) bella quandoque nascerentur, utrisque conclusa esset civitas, sed altero illorum cum alio principe belligerante, mox ipsi bellatori reseraretur. Verum quia[510]) haec conditio de post servata non extitit, idcirco comes Clivensis 25^tus^ Dorstenses armis compulit, ut muris dejectis et propugnaculis, villae speciem resumerent, anno 1311. — Ipse quoque Wilhelmo de Hollandia, electo Romanorum regi et nepoti, fidelissime adstitit adversus Fredericum II. a papa depositum. Florentio

---

505) Gersebach, H. Gerseborch, D. — 506) liberalitatem fehlt in D. — 507) Der Name fehlt in H, D, und B. 1. — 508) successorem genuit, Margarethaın quoque et Mechtildem filias, H. und D. — 509) Die Worte: guerræ et fehlen in D. — 510) quando, H. und D.

etiam Hollandiae comiti regis germano, assistentiam dedit efficacissimam, quando contra Flandrenses navali prœlio decertavit, ubi et Theobaldum ducem de Barri intercepit uti dicetur.

Anno siquidem dni. 1248 Frederico II. imperatore cum filio Conrado rege electo, a Lugdunensi concilio deposito, Wilhelmus Hollandiae comes, Romanorum electus est rex in Woringen, praesente legato apostolico Petro de capuliis, qui electum mox confirmavit. Wilhelmus denique rex,[511]) ope suorum electorum et amicorum, utpote Henrici Brabantiae ducis, Theodorici Clivensis et Ottonis Gelriae comitum nepotum, adunatis[512]) copiis candidissimis Aquisgranum, Frederico deposito deditum, obsidione vallavit et post septem ogdoas in deditionem capiens, in ea coronam suscepit ferream a Conrado Coloniensi archiepiscopo. Deinde Phrysones, diu rebelles, bello compescens, sub jugum misit. Inde Conradum Frederici filium, ex Italia cum exercitu magno[513]) in Germaniam moventem, resque novas in Bavaria meditantem, eo cum suis copiis profectus retrocedere compulit. Interea Guido comes Flandriae, Joannem Hannoniae comitem, Wilhelmi regis sororium, principatu privavit. Quem mox rex, resarcitis copiis, Hannoniam movens, restituit[514]) et adversus Guidonem cum Flandrensibus Walachiam[515]) Zelandiae insulam infestantem, transmisit cum classe potentissima Florentium germanum ejus et Theodoricum Cliviae comitem nepotem. Navali itaque prœlio in Westkeppel villa maritima commisso, post dubiam cruentamque pugnam, Hollandis et regi Wilhelmo cessit victoria; ubi ex Flamingis eorum fœderatis 50 millia caesa, 50 millia submersa et 50 millia capta fuere. Comes Clivensis Theobaldum ducem de Barri oculo privatum, cum multis cepit nobilibus, a quibus maximas divitias extorsit, quibus ad nauseam usque ditatus est.

---

511) Die Worte: in Woringen — denique rex fehlen in H. u. D. — 512) coactis, H. und D. — 513) magna stipante calerva, B. 2. — 514) resistit, H. — 515) Walasiom, H.

Wilhelmus Juliae comes bellicosissimus, ex filia comitis Lossensis, Wilhelmum suscitavit successorem. Is fidei zelo fervescens, pugnavit fortiter contra Stadingos, Bremensis diocesis haereticos. Dehinc Frederico II. imperatori a papa et Lugdunensi concilio deposito, tenacissime adhaesit. Inimicus et hostis ecclesiae et praelatorum cum illo effectus, varias molestias, depraedationes, mutilationes et persecutiones clero et religiosis personis ingessit; quare et a papa excommunicatus fuit, sed minime curavit. Quare dei gratia destitutus et in sensum reprobum versus, repudiata uxore et incarcerata, ob adulterii crimen illi impositum, ipse prius adulter factus, aliorum nobilium et civium uxores egregias, vi ablatas stupravit atque virgines. Infirmatus autem in arce Nideggen, ut medicorum sanaretur remediis, Coloniam se deferri curavit,[516]) indeque a medicis desperatus, ad propria remeans, in prato patenti, haud longe a Colonia, absque sacramentis interiit, in sinu jacens cujusdam militissae, quam a viro rapuerat[517]) ao. 1247.

Otto comes Gelriae et Zutphaniae 7mus annis rexit 42.[518]) Princeps sapientia, pietate, clementia atque armorum exercitatione clarissimus. Ex Margaretha Theodorici comitis filia inclitissima, nullas suscitavit proles, cum qua tamen fundavit abbatiam vallis comitis, ordinis cisterciensis prope Goch, ubi et requiescit. Ea quippe uxore prima decedente a. 1250, Otto comes ad secundas migrans nuptias, Philippam duxit comitis de Sympol[519]) filiam, ex qua Reinoldum successorem atque Ermgardim Cliviae comitissam procreavit.[520]) Ipse Wilhelmo Hollandiae comiti nepoti, electo Romanorum regi, suppetias tulit in Aquensis urbis obsidione et deditione, a quo et Neomagense imperium cum palatio a Frederico I. caesare, Ottoni 2do Gelriae comiti impignoratum. Datis Wilhelmo regi viginti millibus marcarum argenti, peramplius impignoravit et quasi emit, ea conditione adjecta, quodsi

---

516) fecit, H. und D. — 517) acceperat, B. 1, H. und D. — 518) 13, H. und D. — 519) Sunopel, H. Senepol, D. Sunpol, B. 1. — 520) procuravit, H.

quandoque ab imperatore romano redimeretur, tunc Gelriae comes jus[521]) feudi prae aliis retineret. Denique ab Ottone comite recepit in feudum Stochem[522]) et Alsen, comes Lossensis et Groswinus de Born dominium de Born. Ceterum Otto Gelriae comes, Henricum de Gelria Leodiensem episcopum electum, maxima cum solemnitate introduxit a. 1246, qui cum militiae magis esset deditus, quam religioni, annis 27 consecrationis ritum distulit, donec armis et minis coactus, in episcopum se consecrari faceret.[523]) Exorto deinde Leodii bello intestino et schismate inter clerum et cives, propter ecclesiasticae libertatis violationem, Henricus praesul cum clero[524]) ab urbe recessit, ceteris civitatibus urbi adhaerentibus; cumque mutuis sese devastationibus et caedibus graviter persequerentur,[525]) Henricus antistes, ope Ottonis Gelriae comitis germani, comitumque Juliae et Lossensis, Leodiensem exterasque civitates rebellantes, gravissimis bellis, depraedationibus et caedibus compescuit. Tandem Henricus de Gelria praesul, ob indignam vitam a papa Urbano depositus, tres post[526]) se mutuos sibi successores[527]) vidit episcopos, sed cito defunctos,[528]) quos et ipse armis afflixit. Postremo in prœlio apud Francomontem cum Leodiensi episcopo conserto, occisus occubuit a. 1284. Verum Otto comes Gelriae, post varia virtutum insignia, defecit a. 1271; in monasterio vallis comitis cum uxoribus sepultus. Ipse etiam in Stadingos haereticos arma cum ceteris principibus, ut diximus, vibravit.[529])

Engelbertus comes de Marca 6tus, annis praesedit 28, vir ingenio et armis clarissimus, justitiae tenax, sicariorum hostis, desidum et otiosorum perosor, laborantium vero singularis promotor.[530]) Genuit ex Cunigunde prima conjuge, filia comitis a Schawenborch, Everhardum successorem, Agnetam de Monte comitissam, Margaretham[531]) de

---

521) jure, B. 2. vice, H. — 522) Stasen, H. — 523) ordinari curaret, B. 2. — 524) Die Worte: propter — clero fehlen in H. u. D. — 525) prosequentibus, H. — 526) contra, H. und D. — 527) mutuos sibi success. fehlt in B. 1, H. u. D. — 528) non adeo diu superstites, B. 2. — 529) Der Schlußsatz Verum Otto comes u. s. w. fehlt in H. — 530) laborantium — promotor fehlt in H. und D. — 531) Agnetam, H.

Teckenenborch et Aleidam Cliviae comitissas. Ex secunda vero uxore, Elisabeth de Valckenborch, Gerhardum edidit et Catharinam, domino Mecheliniae [532]) desponsatam, alteramque filiam comitissam de Zegenhagen. [533]) Ipse ferme totum sui principatus tempus, in rebus bellicis distribuit. [534]) Nam a. d. 1250 in exordio sui principatus Otto de Marca germanus ejus, Leodiensis archidiaconus et canonicus Trajectensis eum turbavit, [535]) qui ad laicatum aspirans, resignatis beneficiis, paternae hereditatis portionem ab Engelberto expetiit, uxoremque duxit Ermgardim de Holte, viduam de Memelichoven [536]) cumque exinde bella et caedes pararentur inter germanos, [537]) moderatione et prudentia comitis Clivensis pacis amplectuntur fœdera. Engelbertus quippe resignat Ottoni castra Altena et Blanckenstein cum villis adjacentibus; ita tamen, quod illa non venderet aut alienaret, si ipsum absque liberis defungi vita contingeret, quod ita actum est; nam post annos non ita multos [538]) e medio sublatus, integram Engelberto possessionem [539]) restituit. Quibus guerris vix terminatis, ecce Fredericus de Limborch filius Frederici rotati, auxilio Montensium et Limburgensium Marchiae comitum agressus plures [540]) villas devastavit. Quibus auditis Engelbertus comes, ope comitis Clivensis Theodorici, aliorumque amicorum, Frederici copias animose aggressus in campo Volverscamp victoria potitus, in fugam universos compulit, multis captis et occisis. Inde Mendene oppidum valde sibi infestum, armis captum diruit. Aliud quoque bellum multo gravius, Engelbertus Marchiae comes cum Engelberto de Valckenborch Coloniensi episcopo assumpsit. Nam a. d. 1262 Bernardus Bitter miles, satrapa de Blanckenstein, cives Susatenses, Engelberto comiti injuriantes et damna inferentes cepit; quare ira percitus [541])

---

532) Weiselmiæ, H. Wachelmiæ, D. — 533) Regensach, H Zegenhache, D. — 534) contrivit, B. 2. — 535) Statt eum turb. haben B. 1. H. und D. conturb. — 536) Memelichon, H. Nemelichon, D. — 537) pararent; die Worte inter germanos fehlen in H. — 538) Statt der Worte: non ita multos oder aliquot, wie es in B. 1. heißt, sind in H. und D. einige Punkte gesetzt und steht in margine der letzten Handschrift bemerkt: quod in originali pariter omissum. — 539) portionem, D. — 540) multas, B. 2. — 541) commotus, B. 2. præditus, H.

praesul recollectis amicorum suppetiis, villam Hatnegen exurens, ad ulteriora profectus est. Bernardus vero Bitter miles, cum Marchensibus episcopi copias viriliter impugnans, in vico Capella 80 prostravit equites a. d. 1263. Engelbertus denique archipraesul exercitu undique instaurato, Unnam [542]) armorum violentia occupavit, multis civium captis et interfectis cum Bernardo Bitter. Oppidum vero Camen egregie [543]) firmatum Theodoricus Vulenspeet [544]) Engelberti comitis aulicus incendit, ne a praesule captum et communitum [545]) militum praesidio firmaretur, damnaque inde Marckensibus inferret. Demum guerra haec potissimum sedata est, per Theodoricum Cliviae et Gerharduin Juliae comites, contracto inter Engelbertum Marchiae comitem et Elisabeth de Valckenborch archiepiscopi ex fratre neptem matrimonio; quapropter Engelbertus comes factus est Engelberti praesulis adjutor adversus civitatem Coloniensem, comitemque Juliae et adversarios quoscunque. Verum cum a. D. 1277 Engelbertus comes, modica militum multitudine [546]) stipatus, comitatum peteret de Teckeneborch, cujus erat tutor, a Bernardo Loën de Bredervoert [547]) ejusque complicibus [548]) captus fuit et in captivitate ex conceptis mente [549]) doloribus mortuus, eo quod sua incuria [550]) in tam vilissimorum praedonum et sicariorum manus incidisset; cujus tamen cadaver a filio Everhardo armis [551]) extortum in monasterio Cappenborgensi condecentibus tumulatum est honoribus.

Wilhelmus Juliae comes, rerum optime gestarum fama [552]) clarissimus, genuit ex filia comitis de Seyn Wilhelmum, Walramum et Gerardum filios, unamque filiam, domino de Arnsborch desponsatam. [553]) Ipse opem praestitit efficacem Engelberto de Valckenborch Coloniensi archiepiscopo in civitatis Coloniensis obsidione, deditione atque sub-

---

542) maxima, H. Viennam, D. — 543) ægre, B. 2. enim Lanne ægre formatum, H. — 544) Valense, H. Vulensep, D. — 545) convictum, H. — 546) militarium coterva, B. 2. — 547) Brecktervort, H. und D. Berchvoirt, B. 1. — 548) compluribus, H. und D. — 549) morte, H. und D. — 550) sua injuria, H. sine injuria, D. — 551) armis fehlt in H. und D. — 552) forma, H. — 553) nuptam, B. 2.

actione. Conradus siquidem de Hoesteden, Engelberti praesulis praedecessor, liberrimam Coloniam, antiquissimis Romanorum familiis adornatam, in turpissimam redegerat servitutem, nobilibus et proconsulibus, atque civitatis rectoribus, pacis reformandae causa ad ipsum venientibus captis et in vincula conjectis, contra datam fidem, etiam hosti servandam. Iterumque alios viginti nobiles dolose contra datam securitatem[554]) captos, cum ceteris vinculatos tenuit[555]) annis duobus. Nobilibus itaque familiis exterminatis et consulibus ex plebe constitutis, omnimodam civitatis jurisdictionem in portis et clavibus usurpavit. Engelbertus vero de Valckenborch nepos et successor, Conradi praedecessoris vestigia sectatus, alios nobiles et civitatis consules ad ipsum declinantes, quatenus inter consules vinctos et ipsum[556]) pacem reformarent, etiam eos contra fidem datam cum aliis in vincula cum aliis[557]) conjecit; qui Dei implorato auxilio, miraculose liberati, ad terras Gelriensem et Clivensem confugerant. Ea denique praeda exoneratus, Engelbertus duas in civitate Coloniensi erexit arces et munitiones: Beyenthurm et Ryle nuncupatas, quibus cives arctius in servitute et fide constringerentur.[558]) Inde novas in cives exactiones, vectigalia ac onera insolita atque importabilia vulgo, accumulare satagens, cives effrenati correptis armis, arces et fortalitia[559]) a praesule erecta diruere,[560]) portas et muros civitatis, ejecto praesidio episcopi in ipsorum denique potestatem redegere. Tunc ira fervescens Engelbertus archiepiscopus, accitis adjutoribus Theodorico Cliviae, Ottone Gelriae, Wilhelmo Juliae, Theodorico de Valckenborch comitibus, Coloniam Agripinam obsidione cinxit.[561]) Sed istorum[562]) principum moderatione pax inter praesulem et civitatem confecta est, multis marcarum auri millibus praesuli repromissis. Nec multo post denuo discordantibus belloque intestino laborantibus civibus, Engelbertus se ingessit, civitatis deinceps hostis effectus.

---

554) servitutem, H. fidem, B. 1. — 555) captivos retinuit, B. 2. — 556) inter vinctos et illum, H. u. D. — 557) cum aliis fehlt in H. u. D. — 558) conservarentur, B. 2. arctarentur, H. und D. — 559) propugnacula, B. 2. — 560) dejecere, H. Das Wort fehlt ganz in B. 2. — 561) vallavit, B. 2. — 562) iterum, H. und D.

Denique Wilhelmus Juliae comes, derelicto praesule sibi offenso, a civitate conductus aere[563]) multo, civibus contra Engelbertum adhaerens, hostiles illi insidias ubique[564]) tetendit. Quo comperto Engelbertus, ceteris principibus omissis, singularis efficitur inimicus Wilhelmi, ope Engelberti Marchiae et Theodorici Cliviae comitum, terram depraedatus est Juliacensem, capto etiam oppido Sintzig. Ceterum Wilhelmus Juliae comes, auxilio Gelriae comitis, aliorumque amicorum, conserto cum episcopi gente praelio, primo victus fuit et retroactus; sed mox resarcitis copiis et bello instaurato, victoria potitus, Engelbertum praesulem cum Clivensi comite cepit et plurimos nobiles. Episcopum quippe[565]) in arce Nideggen annis ferme quatuor captum detinuit; Theodoricum autem Cliviae comitem, contracto matrimonio inter utriusque proles, liberum ocius dimisit. Quapropter cum civitate Coloniensi excommunicatus exstitit et sacris interdictus. Ceterum a. D. 1276[566]) Engelberto patribus apposito et Siffrido de Westerborch in Coloniensem archipraesulem electo, Wilhelmus Juliae comes arma viresque cogebatur resumere. Siffridus etenim repetiit ab eo castra sibi impignorata a Conrado de Monte etiam electo a nonnullis in episcopum, quae cum Wilhelmus absque pecunia Wilhelmo reddere noluisset, ad arma ventum est, mutuasque caedes et depraedationes. Venit interea Wilhelmus Juliae comes cum filio primogenito et duobus naturalibus, equitibusque 468 Aquisgranum, episcopo Siffrido devotam, eamque circa vesperam occupavit. Cives vero furibundi, reseratis portis, armisque correptis, post caedem cruentissimam cum Wilhelmo trucidarunt universam illam militarium catervam a. D. 1277. Quorum cladem Siffridus praesul cum percepisset, missam cecinit de s. Petro: Nunc scio vere etc. et collectis suorum fœderatorum copiis, universa comitatus Juliae oppida et castra obtinuit, praeter Hamborch[567]) et Nideggen, arcemque tunc locavit in Sulpen munitissimam, eam quoque,

---

563) pro. — 564) undique, B. 2. H. und D. — 565) autem, B. 2. quidem, H. und D. — 566) 1226, D. — 567) propter Heinsberg, H. præter Heinsberg, D.

quam Julius Caesar in Juliaco olim oppido construxerat, evertit; verumtamen volente Papa Martino IV. pax inter episcopum et civitatem confecta est. Walramus quoque et Gerardus Wilhelmi filii, ad partem comitatus[568]) sunt restituti, qui depost Siffrido archiepiscopo in bello Woringensi intercepto et ab Adolpho Montensi comite in vinculis detento, totum Juliacensem comitatum, amicorum ope facillime recuperarunt a. 1288. Opem quoque praestitit Wilhelmus Juliae comes Henrico de Gelria, Leodiensi episcopo, contra rebellantes sibi Leodienses decertanti, quos et armis compescuit.

Adolphus comes de Monte 4tus, annis dominatus est 53, vir prudens, liberalis, magnificus et in bellicis rebus expertissimus,[569]) qui ex filia Hannoniae comitis, nullas penitus excussit[570]) proles. Denique a. D. 1275 Engelberto de Valckenborch Coloniensi archiepiscopo patribus[571]) oppositio, exorto inter electores canonicos schismate, quidam Siffridum de Westerborch elegerunt, nonnulli etiam Conradum de Monte, Adolphi comitis germanum, cui nobiles et civitates illi magis faventes se subdiderunt; Siffridum vero, in romana curia diu conversatum et optime agnitum, Gregorius papa X. confirmavit, Conrado reprobato. Quapropter electi isti duo eorumque amici ad arma recurrentes, variis sese bellorum anfractibus, cædibus et depraedationibus duorum annorum spatio vexaverunt, donec amicorum compositione, pacis et concordiae remedia inter litigantes decreta fuissent. Tunc Siffridus praesul armis et jure coègit[572]) Adolphum Montensem comitem, quod fortalitia duo in Monheim et Mülheim Rheno imposita dejiceret, quae in civitatis et dioceseos praejudicium locata judicabantur. Civitas quippe Coloniensis tum parum favebat[573]) Adolpho comiti, eo quod[574]) adjutor fuisset[575]) Conradi de Hoesteden Coloniensis archiepiscopi contra civitatem Coloniam gravissime belligerantis,[576])

568) civitatis, H. — 569) exercitatissimus, B. 2. — 570) excitavit, B. 2. — 571) principibus, H. und D. — 572) coègit fehlt in H. u. D. — 573) officiebatur, B. 1. H. und D. — 574) quoniam, B. 1. quando, H. und D. — 575) extitit, B. 1. H. u. D. — 576) gravissima bella gerentis, B. 2.

quando etiam cives Colonienses, Rhenum trajicientes, lignaque ex nemoribus suis praecidentes, cum octingentis equitibus invadens fudit et fugavit, circa duo millia intercipiens.[577]) Ipse Adolphus comes de Monte cepit in bello Woringensi Siffridum Coloniensem archipraesulem, captum detinuit annis 7; nempe ao. d. 1288 defuncto Walramo duce Limburgensi absque prole masculina, Adolphus comes de Monte[578]) ducatum illum, morte patrui sui devolutum, vendidit pro ingenti pecuniarum summa, Johanni duci Brabantiae, assistentiam promittens, ut illum nancisci queat. E converso Reinoldus comes Gelriae, comitatum Limburgensem ad se pertinere asseruit, ratione uxoris suae, quae Henrici ducis unica filia fuit et Walrami soror. Cernens[579]) itaque Adolphus, Reinoldum Gelriae comitem se fortiorem, illumque ducatum quasi occupasse, jus suum in Limburgensi ducatu vendidit Johanni duci Brabantiae. Duobus siquidem principibus super uno ducatu[580]) litigantibus cum jure positivo, lis rescindi non potuit, ad arma et enses ventum est. Eodem quoque tempore Siffridus Coloniensis archiepiscopus, cum civitate Coloniensi gravissimas fovebat guerras, quibus sese immiscuere principes praefati discordantes. Nam Joannes dux Brabantiae sese conjungit civibus Coloniensibus, una cum principibus sibi confœderatis, quorum Adolphus comes de Monte unus fuit. Siffridus vero praesul, Reinoldi Gelriae comitis partes tutatus est. Tandem post illata sibi invicem damna et mutuas[581]) devastationes, in Woringen, ubi praesidium episcopus erga civitatem posuerat, ad bellum demum convenerunt, conserto prœlio crudelissimo in festo Bonifacii victoria potitur dux Brabantiae; ubi Adolphus comes de Monte Siffridum de Westerborch Coloniensem archiepiscopum a longo tempore sibi odiosum[582]) cepit, captumque abducens in vincula conjecit[583]) in arce Nienborch annis septem et sicut afficiebatur ita et pertractabat eum.[584]) Captus etiam

577) percipiens, D. — 578) Die Worte absque prole — de Monte, fehlen in B. 2. — 579) Comes, D. — 580) Die Worte: vendidit — uno ducatu fehlen in H. und D. — 581) mutuas fehlt in H. und D. — 582) Die Worte: a longo — odiosum fehlen in B. 1. — 583) captumque detinuit, B. 1. — 584) sicut afficiebatur, sic et pertractabatur, H. u. D.

fuit Reinoldus comes Gelriae a Joanne duce Brabantiae, de cujus belli serie et principibus in illo existentibus, sub Reinoldo comite Gelriae clarius et fusius singula comperies. Cetcrum Siffridus Coloniensis archiepiscopus, septimo suae captivitatis anno, cernens se a suis amicis derelictum, nequc redemptores adventare, se ipsum redemit, resignans Adolpho comiti castra quatuor: Waldenborch, Rodenborch, Mendene et Aspelrode,[585]) terrasque Linpat et Muspat in Rheni ripis sitas inter Tuitium et Düsseldorp,[586]) quo facto rogavit Adolphum comitem Siffridus praesul, quatenus ipsum liberum et securum perduceret usquc ad Tuitium. Sed in dolum petiit, quia disposuerat, ibidem per amicos militum insidias fortissimas locari. Veniente itaque Adolpho comite Tuitium cum Siffrido, erumpentes ilico ex insidiis milites, Adolphum cepere et captum abduxerunt, quem et Siffridus in vinculis detinuit cunctis vitae suae diebus, vices in tractando referens. Adolphus vero vinculorum et miseriarum taedio affectus, obtulit Siffrido sepcnumero castra et terras praedictas sibi restituere, si modo liberari posset.[587]) Sed Siffridus magis vindictam de comite expetens et mortem, quam illius bona, omnia illa recusavit, donec vitam cum morte commutasset a. 1296 captivitatis anno secundo in Generode sepultus.[588])

Theodoricus VII. comes Clivensis 23[tius], annis 13 principatum optime administravit, temporibus Richardi Alfonsi et Rudolphi romanorum imperatorum; princeps ingenii excellentis, necnon clementiae et magnificentiae insignis; genuit ex Walburge inclitissimi comitis de Lutzenborch filia, Theodoricum successorem et Elisabeth filiam, Gerardo comiti Juliacensi desponsatam;[589]) ex qua processere Walramus Coloniensis archiepiscopus atque Wilhelmus Juliae comes et inde marchio et inde primus dux. Primo denique anno sui principatus, Theodoricus exsolvit Ottoni Gelriae comiti decem millia marcarum, promissa vice dotis cum sorore Margaretha

585) Aspelwide, B. 2. — 586) Duysseldorum, B. 2. — 587) Si modo liber. poss. fehlt in B. 1. — 588) Der Schluß: captivitatis u. s. w. fehlt in H. — 589) nuptam, B. 2.

de Clivis prima ejus conjuge; quapropter Otto vicissitudine usus [590]) Ermgardim filiam ex 2da uxore de Simpol genitam [591]) filio Theodorici primogenito despondit. Cumque Theodoricus hic Clivensis comes armorum peritia clareret, variis sese bellorum eventibus exposuit, praesertim cum Engelberto de Valckenborch Coloniensi praesule, adversus civitatem Coloniensem fortiter decertans; hinc in Wilhelmum Juliae comitem procinctum moventes, ambo superati et capti in bello, cum illo consito, exstitere hoc modo.[592]) a. D. 1267 Engelbertus archiepiscopus Coloniensis, cum jam civitatem Coloniensem dolo et armis ut praemissum est, sibi subdidisset, arces in urbe et fortalitia collocasset,[593]) cepit onera et vectigalia insolita a civibus satis afflictis [594]) extorquere,[595]) quare recalcitrantes cives et imposita onera dare recusantes, jugum praesulis gravissimum excussere.[596]) Quamobrem ira incandescens Engelbertus,[597]) confœderatis sibi Walramo duce Limburgensi, Theodorico Clivensi, Engelberto Marchiae et Theodorico de Valckenborch comitibus, intempestive, noctis silentio, ante civitatis mœnia veniens, eam clam irrumpere et occupare intendebat, per foramen ingens, in civitatis muro ab episcopi fautoribus confractum. Theodoricus etenim [598]) Clivensis comes, suorum amicorum copiosa militia ante Coloniam comparens, ut Engelberto Archiepiscopo opem ferret, vidit nocte cum Stephano de Zulen [599]) milite, imagines sanctorum sanctarumque in civitate requiescentium in muro et mœnibus stare,[600]) urbemque velle defendere.[601]) Vnde [602]) territus et corde compunctus, retrocessit cum paucis ejus ad castrum Hülckenradt. Ceteri vero praesulis fautores in nefando opere persistentes, equites 300 per foramen muri in civitatem perduxere. Verum re patefacta, cives et nobiles de Overstoltzen arma in furore corripientes et animose in

590) usque, D. — 591) germano, H. und D. — 592) Die Worte hoc modo fehlen in D. — 593) propugnacula condidisset, B. 2. — 594) oppressis, H. und D. — 595) oppressis exigere et quasi extorquere, B. 2. — 596) Cives autem jugum episcopi excusserunt correptis armis omne episcopi praesidium civitale exturbantes, B. 1. — 597) excandescens; Engelbertus fehlt in B. 2. — 598) autem, B. 1. — 599) alias de Wielen steht in marg. von B. 1. — 600) præstare, B. 1. H. und D. — 601) urbem defensuri, B. 2. — 602) unde fehlt in B. 1. H. und D.

episcopi gentem proruentes, retrocedere compulerunt; Theodorico de Valckenborch praesulis germano, cum multis interempto et Walramo Limburgensi duce, cum plurimis[603]) captivato. Dehinc intelligens Engelbertus praesul, Wilhelmum Juliacensem comitem a Coloniensibus[604]) aere multo conductum, ut ipsis auxiliaretur, resarcitis undique copiis, Theodoricum Cliviae et Engelbertum Marchiae comites sibi associans, maximo exercitu terram invasit Juliacensem, universa occursantia demoliens, capto etiam oppido Syntzich. Nec torpescens Wilhelmus Juliae comes, ope Ottonis ducis Gelriae et suorum confœderatorum, praesulis phalangem bello adorsus, post pugnam diutinam occubuit primo Wilhelmus. Inde animo et viribus resumptis, denuo cum praesule congrediens, victor efficitur, episcopo et Theodorico Clivensi comite, cum multis nobilibus interceptis. Verum Henrici ducis Brabantiae moderatione, Wilhelmus Juliae comes, Theodoricum Cliviae comitem mox dimisit, conflato[605]) inter proles utriusque matrimonio, ut alias diximus.[606]) Is etiam Theodoricus Cliviae comes opem attulit efficacem,[607]) Florentio Hollandiae comiti nepoti, in subactione et correctione Phrysonum, qui patrem suum Wilhelmum, regem Romanorum, olim interfecerant. Johanni quoque de Nassawe, Trajectensi episcopo, auxiliares dedit copias in exterminatione rebellantium Hollandorum ac Phrysonum a. 1260. Carmelandi ac Phrysones ab Hollandiae proceribus ac rectoribus, nimiis exactionibus et oneribus praegravati, maximo exercitu congregato in libertatem pristinam[608]) se vindicare volentes, universam nobilitatem et dominationem extinguere decreverunt. Quare nobilium castris in Hollandia pene excisis, Amersfordenses, Amelandos, Amsteleredamos et Trajectenses vulgares, in eandem libertatis summam pertraxerunt, destructis undique nobilium castris; cumque in Hollandia similia affectari[609]) tenderent, a Florentio Hollandiae comite, Joanne Trajectensi episcopo,

---

603) multis, B. 2. — 604) a Coloniensibus fehlt in B. 1. H. u. D. — 605) contracto, B. 2. — 606) quod ex præcedentibus satis liquet, B. 2. — 607) non contemnendam, B. 2. — 608) pristinam fehlt in B. 1. H. u. D. — 609) effectui, H.

Ottone Gelriae, Theodorico Clivensi comitibus, aliisque nobilibus selectissimis copiis impugnati, omnes caesi et in varias regiones fugati exulesque effecti,[610]) multi ex his capti sceleris autores, extremo supplicio affecti sunt.

Theodoricus VIII. comes Clivensis 24^tus annis rexit 15 Rudolpho imperante. Vir multarum virtutum titulis adornatus et in rebus bellicis callidissimus; cui nobilissima Ottonis Gelriae comitis filia Ermgardis, binos peperit filios Theodoricos, quatenus uno decedente, in altero remaneret nomen paternum. Verum ambobus in vita remanentibus, primogenitum declaravit heredem; alterum vero Theodoricum comitem instituit de Hulckeradt. Cujus quidem comitatus termini, tunc extendebantur a Nussia usque ad Mœrsensem principatum, continentes villas Willick, Wisselen, Oesterada, Herde, Nilen et Langen cum castris Hulckenradt, Dyke et Lyn. Genuit autem is Theodoricus de Hulckeradt, ex filia comitis de Mœrsa, Theodoricum et Cononem[611]) archidecanum Coloniensem ac Robertum dominum de Bergis maritima. Denique comitatus hic de Hulckeradt denuo ad Clivensem comitem devolutus, venditus est Henrico de Vernenborch, Coloniensi archiepiscopo; qui redemptionis vim in illo praetendebat, ut alio in loco dicetur. Porro Theodoricus Cliviae comes erat Rudolpho imperatori ob virtutes et singularem prudentiam[612]) adeo acceptissimus, quod consiliarium regium ipsum faceret, neptimque ejus ex Alberto filio, Theodorico, Theodorici primogenito, daret uxorem, civitatem Wesaliam cum castro Ringenberch villisque adjacentibus pro dote resignavit, Clivensiumque dominio adjecit. Quamobrem Theodoricus comes, Rudolpho imperatori omnem quam potuit assistentiam adhibuit[613]) in debellandis[614]) et suis et imperii hostibus, qui tempore schismatis et vacationis imperii, civitates, castra atque provincias regni occupaverant neque admoniti restituere volebant. Sexaginta nempe castra et

---

610) quasi in varias regiones exulare coacti, B. 1. exulati erant, H. und D. — 611) Lenonem, H. und B. 2. — 612) Die Worte: ob virtutes — prudentiam fehlen in B. 1. — 613) auxilium præstitit, B. 2. — 614) in debellandis fehlt in H. und D.

civitates, ab imperii invasoribus detenta, armorum vi intercepta, diruit in Germania atque Franconia, atque decem in Suevia et Bavaria dejecit, inter quae fuerunt Rickenstein, Schonegge, Rineck atque Keyserswerdt, quod tamen Theodorico Clivensi comiti restaurandum commendavit, restauratumque Coloniensi episcopo impignoravit.

Reinoldus Gelriae et Zutphaniae comes 8^vus^ et ultimus, annis rexit 55, temporibus Rudolphi, Adolphi, Alberti et Ludowici imperatorum. Ex prima conjuge Ermgarde, unica Henrici ducis Limburgensis filia, nullas suscitavit proles, eaque defuncta, ex nobilissima Margaretha, Guidonis Flandriae comitis filia, Reinoldum genuit successorem, Guidonem quoque et Philippum, tenera aetate mortuos,[615]) Margaretham comitissam Clivensem et Isabellam abbatissam s. Clarae in urbe Coloniensi. Ipse fundavit conventum[616]) fratrum minorum Ruremundae, ipsa autem praedicatorum in Zutphania. Obtinuit ab imperatore Rudolpho, cui percharus erat, quod monetam in Arnehem, in Harderwyck et Ruremund cudere liceret. Ipse armatorum selectis copiis auxilia praestitit Henrico de Gelria patruo suo, electo et confirmato Leodiensi episcopo, adversus sibi recalcitrantes Leodienses, quos[617]) denuo armis subjectos reddiderunt. Gravissimum sane bellum Reinoldus comes assumpsit contra Joannem Brabantiae ducem, super jure et possessione ducatus Limburgensis, in quo quilibet se jus habere praetendit.[618]) Reinoldus ratione uxoris suae primae, unicae Henrici ducis filiae, cum qua dotis titulo acceperat.[619]) Joannes vero dux jus se in illo habere asseruit via emptionis, quando ducatum hunc multo emerat auro ab Adolpho Montensi comite, herede masculo ducis Henrici defuncti et Walrami ultimi ducis Limburgensis, sui patrui. Cumque lis et guerra horum litigantium principum, nec juris remedio, neque amicorum moderatione discindi posset, ad bella et terrarum devastationes processerunt, diversos sibi principes fœdere sociantes. Nam Joannes dux

---

615) discedentes e vita. — 616) cœnobium, H. und D. — 617) quoque, H. und D. — 618) Die Worte in quo — prætendit fehlen in B. 1. — 619) se accepisse dicebat, B. 1.

Brabantiae confœderatis sibi Godefrido fratre, duce Lotharingiae, Leodiensi episcopo, Adolpho Montensi, Walramo Juliae, Everhardo Marchiae, Lossensi et s. Pauli comitibus aliisque illustribus et militaribus multis, cum civitate[620]) Coloniensi, cujus Joannes dux erat civis, coactoque in unum exercitu maximo,[621]) Gelriae principatum, flammis, ferro et depraedationibus afflixit vehementer. Reinoldus denique Gelriae comes, ope Siffridi de Westerborch Coloniensis archiepiscopi, Theodorici Cliviae comitis sororii, Henrici de Lutzenburgo cum tribus fratribus, Adolphi de Nassawe, Joannis de Limborch, Walrami de Valckenborch comitum, Joannis de Westerborch et Walrami de Rupe illustrium, aliorumque plurimorum nobiliuu, Brabantiam invadens, magna ex parte vastavit, Tilamque cepit et diruit. Interea Joannes Brabantiae dux, suis copiis exquisitissimis arcem[622]) Woringen, quam Siffridus praesul erga Colonienses firmaverat, obsidione cinxit. Quam cum Reinoldus Gelriae comes et Siffridus archipraesul resolvere, admotis[623]) illuc copiis niterentur, congressione simul facta cruentissima et odiosa, editur pugna in festo s. Bonifacii Martyris a. 1288. Sed Joannes Brabantiae dux, victor effectus, cepit Reinoldum Gelriae comitem graviter vulneratum et Siffridum archiepiscopum, cum mille militaribus et civibus multis. Cecidere in eo praelio interempti, Joannes de Westerborch Siffridi episcopi frater, Henricus de Lutzemburgo cum tribus germanis et mille militaribus praeter cives.[624]) Tunc Reinoldus resignavit Joanni duci, pro redemptione sui et suorum, ducatum Limburgensem cum nobili dominio de Wassemborch, cui versa vice Siffridus archipraesul dedit nobiles villas terrae Kempensis, Aldekerck et Nienkerck Reinoldo comiti in expensarum defalcationem et ipse Siffridus a Montensi comite in captivitatem ductus, qualiter libertatem nactus sit, alias diximus.[625]) Denique a. D. 1298 Otto dominus de Buren et Hubertus de Kulen-

---

620) comite, B. 1. — 621) magno, H. und D. — 622) vertere, H. — 623) admotis fehlt in B. 2. — 624) Der Satz et civibus multis — mille militaribus fehlt in D. — 625) Siffridus qualiter captus et ex captivitate liberatus, dictum est in Adolpho Montium comite. B. 1.

borch, castra cum dominiis illorum resignarunt Reinoldo Gelriae comiti iterumque ab illo in feudum receperunt; concessit etiam Reinoldo comiti[626]) Guido de Flandria Trajectensis antistes, quod Velvae feudum dehinc a Trajectensi episcopo immediate et non a Brabantiae ducibus mediis accipere liceret. Cumque Reinoldus Gelriae comes peroptimus circa finem vitae, capitis mentisque alienationem ex vulneribus in Woringensi bello acceptis, incurrisset, ita quod nec se neque subditos apte[627]) regere posset, a filio Reinoldo honestissima detentus fuit custodia annis sex, quibus supervixit. Moritur vero a. D. 1326, in monasterio Vallis comitis cum uxoribus suis Ermgarde et Margaretha sepultus.

Everhardus comes de Marcka 7^mus^, annis praesedit 31, princeps virtuosus et bellicosissimus, qui genuit ex clarissima Ermgarde comitis de Monte filia, Engelbertum sibi succedentem, Adolphum Leodiensem episcopum, duasque[628]) filias, Catharinam et Ermgardim uno partu simul editas, in quo et ipsa comitissa defecit in Vrondenbergensi[629]) monasterio sepulta, ubi Catharinam filiam monialem devoverat a. d. 1277, Engelberti patris necem indignissimam vindicare volens, comes Everhardus, sociatis sibi Theodorico Clivensi et Adolpho Montensi comitibus, castrum Breydervort ubi patris funus tenebatur, obsidione cinxit. Castrenses vero timentes ilico corpus paternum Everhardo restituebant, quod multo dolore receptum, in monasterio Cappenborch[630]) honestissimis exequiis recondidit. Interea fugientibus nocte praedonibus,[631]) Everhardus castrum obtinens solo aequavit. Inde ad curiam Rudolphi, ob excessivas animi et corporis dotes accitus, miles creatur et de Marchiae comitatu, ceterisque suis dominiis infeudatur. Ceterum cum Theodorico Kiggen milite et satrapa Siffridi Coloniensis archiepiscopi in arce Ahuys supra Lippiam sita, Everhardus[632]) comes suorum militum et civium exercitu recollecto in Theodorici

626) Die Worte: iterumque — comiti fehlen in H. Gelriæ comiti fehlt in B. 2. — 627) recte, H. und D. — 628) geminasque. — 629) Alle vier Handschriften lesen immer Vredenborgensi; es muß aber heißen Vrondenbergensi, Frönbenberg, was wir dann auch gesetzt haben. — 630) Lappenborch, D. — 631) Irdonibus, H. — 632) Gerhardus, H.

copias ruens, conserto praelio ipsum fudit, multis captis et trucidatis. Residuos ad arcem Ahuys confugientes, obsidione circumcingens, ad deditionem compulit, arce capta et diruta a. D. 1287. Quo etiam tempore castrum Raffenborch[633]) occupans, quamplurima episcopo damna intulit, oppidumque Hammonis magna in parte igne immisso concrematum fuit. Dehinc Joanni duci Brabantiae et civitati Coloniensi auxiliares adduxit[634]) copias, adversus Siffridum antistitem et Reinoldum Gelriae comitem dimicantes; interfuitque bello Woringensi, ubi plures nobiles captos, aere multo mulctavit. Siffrido denique praesule, a Montensi comite captivato atque in vincula conjecto,[635]) ipse Everhardus omnia tuto prospiciens, castra Volmestein et Isenborch episcopo adimens, oppidum Werle, armis receptum, subversis muris, vallo quoque et fossis complanatis, in villae formam reduxit; Inde Ottonem de Teckeneborch nepotem, subsidiariis fovit copiis contra Osnaburgensem episcopum belligerantem, in cujus quidem diœcesi damna et devastationes varias exercuerunt.[636]) — a. D. 1242 Adolpho de Nassawe in Romanorum regem Aquisgrani coronato, in Misnenses et Thuringos sibi recalcitrantes, belli apparatum commovente, Everhardus Marchiae comes, selectis suorum militarium copiis, cum illo perexit. Quo absente Siffridus archipraesul, vindicandi tempus adesse ratus, maximo exercitu Marchiae comitatum cremando et depraedando percurrit. Quod ubi Everhardus rescisset, mox a rege licentiam petens, ad propria remeavit, imploratoque Joannis Brabantiae ducis auxilio, diœcesin depraedatus Coloniensem, oppidum Reckelinchusen interceptum ad instar Werle, in villae speciem redegit. Dehinc castrum Wassen-

633) Raevenborch, H. und D. — 634) destinavit, B. 2. — 635) Atque — conjecto fehlt in B. 1. — 636) In dem S. 118 gedachten Manuscript Nr. 155 der Königl. Bibliothek zu Berlin, heißt es fol. 66. Anno 1288 Joanni Brabantie duci aduersum Gelrie comitem et Coloniensem archipresulem Siffridum opem tulit in Woryngensi bello vt dictum est. Oppidum etiam Werler Coloniensis ecclesie interceptum eiectis muris et equatis solo fossalis in villam conuertit. Similiter et castra Ysenborch ac Volmesteyn in suam redegit potestatem, Siffrido in vinculis Montensis comitis Adolphi in castro nouo hactenus detento. Qui vt se redimeret contulit Adolpho castra Waldenberch, Rodenborch, Mendene et Aspelwide cum eorum attinentiis et dominiis.

borch cum Joanne duce longo obsessum tempore obtinuit, quod eidem duci pro servitio exhibito resignavit a. 1295.[637]) — Sequenti autem anno Rutgerus de Altena dapifer, ad Everhardi comitis utilitatem, redemit castrum Waldenborch ab Hunoldo de Plettenborch 500 argenti marcis, oppidumque Nystatt cum arce Swartenborch aedificavit ex redditibus excrescentibus,[638]) Everhardo comiti incognitis. Sed heu! heu! ubi nunc officiales domino tam fideles invoniuntur, quaerentibus quasi[639]) universis quae sua sunt et non, quae dominorum.[640]) Curiam denique solennissimam Everhardus in Hammone convocans, nobiles et proceres suos adesse jussit; ubi filium ejus Engelbertum despondit unicae filiae domini de Arnsborch Margarethae,[641]) filiumque Adolphum literis apprime eruditum, Wormatiensem effecit praepositum[642]) atque canonicum Leodiensem, ubi et postremo in praesulem assumptus extitit. — a. D. 1299[643]) Everhardus comes de Marcha Monasteriensi episcopo bellum intulit, propter injurias illatas suo nepoti de Teckeneborch; Dulmen villam exactionavit cum adjacentibus, arcemque Luddinchusen cum Hermanno domino ejus cepit, iterumque sibi in feudum contulit. Tandem, Ottone Clivensi comite componente,[644]) paciscuntur. Porro his guerris vix terminatis, Wichboldus de Holte, archiepiscopus Coloniensis, novas Everhardo suscitavit lites et bella, contemplatione castri Limborch, ex quo Sobbo miles et officialis praesulis, quamplurima dispendia atque injurias Marckensibus intulit. Quamobrem Everhardus comes, ope Walrami Juliae comitis et Engelberti filii sui, domini de Arnsborch, castrum Sobbonis in Werda captum

---

637) 1245, H. und D. — 638) excurrentibus, H. crescentibus, D. — 639) nisi, D. — 640) In der Note 636 gedachten Berliner Handschrift heißt es fol. 66. Anno 1296 Rutgerus de Altena miles, Euerardi comitis dapifer castrum Woldenborch ab Hunoldo de Plettenborch redemit ad vsus comitis pro quingentis argenti marcis. Qui et ao. 1301 in die Seruatii edificare cepit opidum Nystat et arcem Swartenborch ex prouentibus excrescentibus Enerhardo incognitis. O fidelitas etc. — 641) In der eben erwähnten Handschrift a. O. wird die Gem. Engelberts: Margaretha, die unica domini de Arenborh filia genannt, was auch richtiger ist, (v. Steinen St. I. S. 176) denn der Graf von Arnsberg hatte keine Tochter Margaretha. — 642) episcopum, H. und D. — 643) 1249, H. und D. — 644) componente fehlt in H. und D.

diruit e regione castri Limborch, ex quo hostes arceret semper. Dehinc trajecto Rheno, Lechenich et Rodenburch castra armorum vi obtinuit, copiasque praesulis ex Brule[645]) prorumpentes prostravit, aliasque ex Hovestatt sibi in bello occursantes fudit, multis captis et profligatis, arcemque Hovestat captam solo aequavit. Interea Wichboldus archiepiscopus, contractis undique militum cohortibus Zusatum movit, Marchiae terras demoliturus.[646]) Veruntamen comite Everhardo cum exercitu suo in Buderich, haud longe a Zusato castra metante, quatenus[647]) bellaturum exciperet praesulem, Wichboldus bellum detractans Hovestatt restauravit, Unnamque[648]) tunc villam igne vastavit. Nec multo post infirmitate correptus, archipraesul animam efflavit in Zusato. Everhardus quoque eandem mortis semitam ingressus est a. D. 1308, in monasterio Vrendenborch juxta uxorem tumulatus. Iste quoque comes Everhardus, inductione Adolphi Romanorum regis, cum nonnullis Germaniae principibus profectus est in Flandriam, Guidoni comiti militaturus adversus Philippum Gallorum regem, ut dicetur.

Walramus Juliae comes clarissimus, genuit ex Philippa Guidonis Flandriae comitis potentissimi filia, Wilhelmum aliasque proles obiter defunctas. Interfecto quippe Wilhelmo Juliacensi comite, genitore, in civitate Aquensi, Siffridus Coloniensis archiepiscopus lethalis hostis[649]) Juliae comitatum armis occupavit misereque vastavit. Attamen volente papa Martino, Walramum et Gerardum Wilhelmi[650]) filios ad partem principatus restituit. Siffrido dehinc in praelio[651]) Woringensi capto atque a comite Montensi in captivitate detento, ilico Walramus animo et viribus resumptis exercituque ex fautoribus et amicis suis[652]) collecto, universum Juliae comitatum facillime recuperavit, episcopi officialibus aut pulsis aut necatis; quod fusius est dictum supra.[653]) Adjutor tunc quoque fuit Joannis Brabantiae

645) Pruck, H. — 646) depopulaturus, B. 2. — 647) ut, B. 2. — 648) unamque, H. und D. — 649) sortis, H. Die Worte: lethalis hostis fehlen in B. 1. — 650) Wilhelmi fehlt in H. und D. — 651) bello, H., D. und B. 2. — 652) Die Worte ex fautoribus — suis fehlen in B. 1. — 653) quod — supra fehlt in B. 1.

ducis, adversus lethalem patria suae hostem[654]) Siffridum archiepiscopum, in Woringensi bello decertantis. Everhardum quoque Marchiae comitem copiis adjuvit subsidiariis,[655]) quando Wichboldo de Holte, Coloniensi archiepiscopo bellum movit, illique armorum potentia abstulit castra Lechenich, Rodenburch et Hovestatt. Tunc Walramus ab Everhardo arcem Lechenich dono[656]) accepit et a Wichboldo archipraesule sibi reconciliato, Sulpen aere[657]) multo comparavit; quod tamen de post Cono de Falckenstein archiepiscopus redemit. Ceterum a. D. 1296[658]) Walramus Juliae comes filium suum Wilhelmum cum selectissima Germanorum militia destinavit in Flandriam[659]) quatenus[660]) Guidoni comiti, matris suae genitori, auxilia ferret contra potentissimum Gallorum regem Philippum, qui aegerrime tulit, quod Guido Flandriae comes, filiam suam Eduardo regi Anglorum dederat uxorem; quare bellum Guidoni indixit. Igitur sollicitatione et pecuniis Eduardi regis, infradicti principes opem tulerunt Guidoni comiti: Walramus Juliae et Reinoldus Gelriae comites Guidonis generi, Joannes dux Brabantiae, Theodericus Clivensis, Everhardus Marchiae,[661]) Theodoricus de Valckenborch comites, plurimique illustres et militares; qui Wilhelmum de Juliaco, Walrami filium, copiarum ductorem constituentes, potentissimo equitum exercitu ocius in Flandriam moverunt, ubi in civitatibus diversis locati, Gallis omnem, quam poterant, resistentiam faciebant; saepe numero cum Francis congressi, nunc victores nunc victi extiterunt. Erant quippe in Gallorum exercitu sexaginta millia equitum et peditum 150[662]) millia; quorum multitudine attoniti Germani, remque Flandrensem desperatam cernentes ad propria recesserunt; Eduardo Anglorum rege et Adolpho imperatore pacem et treugas inter regem Philippum et Guidonem statuentibus, quibus exspirantibus et rege Philippo rursus Flandriam invadente, totam occupavit. In qua expeditione

654) lethalem - hostem fehlt in B. 1. — 655) Die Worte: copiis subsidiariis fehlen in B. 1. — 656) denuo, D. — 657) sub onere, H. sub ære, D. — 658) 1246, H. — 659) in Flandriam fehlt in H. und D. — 660) ut, B. 2. — 661) Theodor. Clivens., Everh. March. fehlen in H. u. D. — 662) quadraginta, H.

Wilhelmus, Walrami Juliae comitis primogenitus, fortissime depugnans cecidit a. 1304. Walramus autem pater obierat a. 1300 sicque Wilhelmus Juliae comitatum obtinuerat, annis quatuor sine uxore et liberis existens.

Theodoricus IX. comes Clivensis 25tus, annis praefuit duntaxat 10, temporibus Adolphi et Alberti Romanorum imperatorum. Cui illustrissima Margaretha, filia Alberti Austriae ducis et tandem Romanorum regis, enixa est tres filios: Ottonem, Theodoricum et Joannem, mutuos in principatu successores, duasque filias, Mechtildim[663]) comitissam de Arnsberch et Elisabetham dominam de Porwisch ex comitibus de Horn prodeuntes. Enimvero Rudolphus imperator Theodorico comiti Clivensi concessit cum Margaretha de Austria sibi desponsata uxore, jure dotis quatuor millia marcarum argenti semel duntaxat, quadringentas quoque argenti marcas ex Thelonio[664]) in Burick annue sublevandas. Duisborch praeterea et Cranenborch pignoris titulo superaddidit, nec his contentus Rudolphus, sed peramplius Theodoricum generum magnificare studens, ipsum instituit imperii vicarium super Neomago et Daventria civitatibus, aliisque regni climatibus usque in Ravenswede. Telonia quoque Clivensium prisca corroborans, nova adjecit, monetamque cudi in tribus sui comitatus locis, quibus vellet annuit. Quae omnia et singula Albertus Romanorum rex, ipsius filius et comitissae Clivensis genitor, gratiose confirmavit et renovavit a. 1299.[665]) Eadem ferme tempestate Theodoricus de Clivis comes de Hulckrath[666]) a vicinis proceribus vehementer molestatus et damnificatus,[667]) comitatum illum denuo vendidit Theodorico Clivensi comiti germano suo, recepitque iterum castrum[668]) Kervenheim cum aliis circumjacentibus villis et agris. Ceterum quum Rudolphus imperator praefecturam insulae caesaris prope Düsseldorp, Wichboldo de Holte Coloniensi archiepiscopo et Theodorico Clivensi comiti

---

663) So alle vier Handſchriften; ſie hieß aber Anna. Seiberz Geſch. d. Grafen S. 260. — 664) Theodorico, H. — 665) 1249. H. u. D. — 666) Hulckenray. B. 1. und 2. — 667) damna perpessus. — 668) castrum fehlt in B. 1. H. und D.

impignoraverat, recusavit Ludovicus de Zonnenberg castri praefectus illud tradere et aperire ipsis, quapropter castrum obsidione cinxerunt, donec se cum arce dederet in manus praesulis et comitis. Tunc Theodoricus Cliviae comes Wichboldo jus suum in illo acquisitum resignavit, pro quadringentis marcis Brabantiae, ex teloneis ipsi annuatim persolvendis. Accidit a. D. 1242. Quarto exinde anno Theodoricus Cliviae comes, condigna animadversione ultus est truculentam Florentii comitis Hollandiae nepotis mortem a vasallis suis intentatam. Denique cum Joannes de Zyrck[669]) Trajectensis episcopus castra Vrelandt et Montfort, per suum praedecessorem Joannem de Nassawe impignorata Gisberto de Anstell, Hermanno de Werden et Gerhardo de Velsen militibus et Florentii comitis aulicis atque consulibus, redimere[670]) vellet, expositas offerrens pecunias, illi animo elato nec castra restituere, nec expositam recipere pecuniam volebant. Quare Joannes praesul, opitulante Florentio Hollandiae comite, castra praefata obsidione durissima intercepit, pecuniamque dudum oblatam, pro erogatis in obsidione expensis,[671]) sibi retinuit, Florentio adsentiente. Quamobrem irati milites et consules dominium suum[672]) tradere regi Anglorum suo aemulo, certis pro pecuniis compromiserunt. Cumque Florentius comes haud longe post venationibus in Goylandt insisteret[673]) a tribus memoratis vasallis, magno equitum globo impetitus capitur et in Meidensi[674]) arce Gerhardi de Velsem collocatur. Veruntamen postquam Hollandiae principes eorum captivitatem et calamitates percepissent, tumultuariis mox contractis copiis eo properantes, Florentium eripere a traditorum potestate maturabant. Quo rumore exterriti traditores, cum ipso Nardam versus properabant; sequuntur[675]) e vestigio Hollandi, quatenus interceptum comitem liberarent, quem cum abducere ad ulteriora desperassent, Gerhardus de Velsen miles 20 vulneribus

669) Zuck, B. 2. — 670) retinere, H. — 671) pro obsidionis expensis, B. 1. — 672) dominium ipsorum, B. 1. H. und D. — 673) operam daret, B. 2. — 674) Mindensi, D. Nudensi, B. 2. — 675) Die Worte: a traditorum — sequuntur, fehlen in H.

confodit a. d. 1297.[676]) Spiritum emisit eo in loco in quo depost altare summum ecclesiae de Muderberch erectum a filio extitit. Tunc Hollandi Theodoricum comitem Clivensem, Florentii nepotem et amicum peculiarem, in patriae gubernatorem necisque vindicem delegerunt; qui mox contractis undique copiis Hollandiam movens, traditorum villis exustis, castra Wœrden et Cranenborch, longa obsidione attenuata, capit et evertit, ipsum quoque Gerhardum de Velsen, interfectorem Florentii, in arce Cranenborch captum, in vase vinario sudibus et[677]) clavis perforato nudum conjecit, sicque volutari fecit a Neerda versus Mudam, donec infelicem efflaret animam. Uxores praeterea, filios et nepotes usque ad quartam generationem horum trium traditorum militum, bonis privatos aut exilio perpetuo relegavit aut in ore gladii[678]) trucidavit. Ea siquidem ultione confecta, Theodoricus Cliviae comes subsidiarias militum cohortes, cum aliis nonnullis principibus transmisit in Flandriam, quatenus[679]) Guidonem comitem Flandriae, a Gallorum regis invasione et extremitate liberarent ut praemissum est.[680]) Quibus e Flandria regressis in Dorstenses arma convertit, quos forti manu adeo compulit, ut muris dejectis, fossisque complanatis, villae speciem resumerent, eo quod in munitione oppidi, conditiones compromissas minime adimplevissent.—Anno autem dni. 1299[681]) Albertus imperator, intelligens Hollandiae comitatum imperio devolutum et a Joanne comite Hannoniae Gallo occupatum, cum Trajectensi atque Coloniensi archiepiscopis et ceteris principibus Rhenum descendens, Theodoricum Cliviae comitem generum visitavit, indeque Neomagium progressus, cum audisset[682]) Joannem Hannoniae comitem cum potentissimo Gallorum exercitu prae foribus esse, neque bellum sed feudum in gratia postulare, moderatione Clivensis comitis aliorumque principum, accepta ingenti aureorum congerie, feudum Joanni Hannoniae comiti concessit. Ipse Theodoricus Cliviae comes, Deo devotus et ecclesiae, collegium canoni-

---

[676]) 1296, B. 2. 1247, H. u. D. — [677]) sudibus et fehlt in D. — [678]) aut gladio, B. 2. — [679]) ut, B. 2. — [680]) ut praemiss. est, fehlt in B. 1. — [681]) 1249, H. und D. — [682]) hausisset, B. 2.

corum in arce ejus Monreberch fundavit, quod longe post Theodoricus comes 27^mus^ praebendis et redditibus dilatatum[683]) ad Clivensem ecclesiam transtulit. Conventum etiam fratrum praedicatorum in Wesalia exstruxit, qui de post cum potiori parte civitatis combustus, per fratrem Theodoricum de Wissel Naturensem atque fratrem Ludovicum de foro Fogiensem episcopos et istius conventus alumnos restauratus fuit et in eam, qua nunc extat, formam redactus. Obiit autem Theodoricus comes gratia et virtutibus refertus a. D. 1300; quo tempore Bonifacius papa VIII. primum instituit jubilaeum de centenario in centenarium rite celebrandum; quod depost Bonifacius IX. in quinquagesimum reduxit annum, ad instar jubilaei Judeorum et Paulus papa II.[684]) ad 25^tum^ annum, propter vitae humanae brevitatem extendit, quam rem multi magis avaritiae quam pietati adscribunt.

Wilhelmus mortuo Adolpho fratre sine liberis, comes decernitur Montensis ao. 1296,[685]) praefuit annis 12. Verumtamen ex filia comitis de Oldenborch nullas excitavit proles. Mortuo denique Monasteriensi episcopo vel ut alii dicunt, ob vitam praesule indignam, reprobato a Papa et capitulo,[686]) Ottone scilicet de Retberch, Conradus de Monte ipsius germanus, sollicitatione comitum de Clivis et Marcha justis subrogatur suffragiis. Erat quippe iste Conradus a nonnullis electoribus in Coloniensem archiepiscopum electus, sicut et Siffridus de Westerborch, qui tamen beneficio curiae Romanae, in qua diutius conversatus fuerat, confirmationis diploma sortiebatur et quoniam pacis erat cultor atque amator, inter bellica stratagemata non legitur.[687]) Obiit autem comes Wilhelmus a. d. 1308 in abbatia Montis veteris cum prothoparentibus suis inhumatus.[688])

Otto comes Clivensis 26^tus^ annis gubernavit 10, sub Alberto et Henrico imperatoribus, maximarum certe[689]) virtutum et dotium princeps, tantaeque modestiae et tran-

---

683) dotatum, dilatatumque, B. 2. — 684) Paul II. wurde 1465 Papſt. — 685) 1246, H. — 686) a papa et capitulo fehlt in B. 2. — 687) bellicis stratagematis (sic) se inmiscere noluit. B. 1. — 688) insinuatus, H. — 689) denique, H. und D.

quillitatis, ut pacificus dictus est. Genuit vero ex clarissima Aleida Engelberti Marchiae comitis filia, Margaretham illustri domino Joanni de Arckell desponsatam, cui peperit Ottonem, Robertum et Joannem episcopum Trajectensem, indeque Leodiensem, duasque filias addidit, mira corporis venustate conspicuas, Catharinam scilicet dominam de Huisden et Joannam dominam de Enre in Zelandia,[690]) ex qua plurimae creatae[691]) sunt filiae speciosissimae diversis sociatae[692]) principibus, de quibus processere deinceps domini de Horn de Hinsberg, de Gennepe, de Bredenray, de Brulningen, de Veris, de Vliet, de Oestede, de Drongelen, de Mirwyn, de Herwyn etc. Ceterum ab Ottone domino de Arckell et Joanna de Juliaco, orti sunt Joannes et Wilhelmus de Arckell et Joanna comitissa Egmundensis, genitrix Joannis comitis de Egmunda, Wilhelmi domini de Isselstein atque Arnoldi ducis Gelriae et Juliae. Porro, quamvis Otto comes Cliviae pacificus nuncuparetur, et in rei veritate pacis erat cultor et conservator,[693]) nonnulla tamen invitus excipere[694]) bella cogebatur. Nam primo principatus sui anno crebris lacessitus injuriis a Joanne de Dorinckhoven, militum suorum amicorum caterva arcem Dorinckhoven haud longe a Borcken sitam, diuturna obsidione attenuatam cepit et evertit, multis ibi nobilibus captis et exactionatis. Inde cum Henrico de Verneborch Coloniensi archiepiscopo, bellicoso magis quam religioso,[695]) bellare tentabatur, propter comitatum de Hulckenray, quem praesul sibi auferre nitebatur, redemptionis jus[696]) se in illo habere praetendens. Tandem post gravia hinc inde illata dispendia, Otto pacis amator, accepta ab Henrico pecuniarum copia,[697]) comitatum hunc libere illi resignavit, Theodorico et Joanne germanis assentientibus. Insuper ut firmiora cum Henrico praesule pacis fœdera stabiliret, Mechtildim ejus sororem sibi matrimonio sociavit, Aleida de Marca conjuge prima jam defuncta. Eodem ferme

690) Line, H. de Eine, D, wobei in Zelandia fehlt. Die Namen ihrer Nachkommen sind auch mit mehreren kleinen Abweichungen geschrieben. — 691) porrectae, H. — 692) societatis, H. — 693) reparator, B. 1. amator, B. 2. — 694) gerere, B. 1. suscipere, B. 2. — 695) glorioso, B. 1. — 696) vim, H. und D. — 697) taxa, B. 2.

tempore defuncto Conrado de Monte Monasteriensi episcopo, Otto comes Clivensis capitulo et proceribus gratissimus, Ludovicum ex Joanne Lantgravio Hassiae et Mechtilde de Clivis oriundum eidem curavit praefici ecclesiae, virum[698]) genere, moribus et scientia clarissimum, qui infinita propemodum bona in diebus vitae suae operatus est. — Anno siquidem Dni. 1308 opilio quidam Cranenburgensis, sumpto in paschate corporis Christi sacramento, exactoque prandio cum ovibus suis ad pascua rursus revertitur, infirmitate autem ex stomachi redundantia correptus, quercinam conscendens arborem, pene concavam[699]) species sacramentales cum cibo in illam egessit. Multis de post annis currentibus, cum arbor illa ad combustionem praescinderetur, apparuit crucifixi imago e trunco arboris excrescens. Accitur princeps, vocantur religiosi ac clerici concurrunt[700]) undique fideles ad tam miraculosam Domini crucem lustrandam. Qui simul processionem ordinantes solennissimam, crucem ex arbore rescissam summa veneratione et laudibus ad Cranenburgensem ecclesiam deduxerunt, ubi cum in dies excresceret et quantitate et miraculorum multitudine atque populorum frequentatione, Adolphus dux Clivensis primus, collegium canonicorum Zefflicense, papa licentiante, ad Cranenburgensem ecclesiam transportavit,[701]) praebendis dilatatis. Tandem Otto comes virtute clarus et gratia, rebus excessit humanis in Horstmar partium Westphaliae, indeque delatus ad terram Clivensem, in monasterio Bedtborch sepelitur a. D. 1310.

Gerhardus, Walrami Juliae comitis germanus, comes Juliacensis decernitur, Walramo absque liberis decedente a. D. 1301. Genuit autem ex illustrissima Elisabeth, filia comitis Clivensis Theodorici, Wilhelmum successorem, Walramum Coloniensem archiepiscopum, aliosque floridae juventutis tempore decedentes.[702]) Ipse adhaesit, partesque tutatus est Ludowici Bavariae in Romanorum regem electi a qui-

698) verum, H. und D. — 699) pene concavam fehlt in H. u. D. — 700) cleri convenerunt, H. und D. — 701) transtulit, B. 1. — 702) aliosque citius defunctos, B. 1.

busdam electoribus, adversus Fredericum Austriae a nonnullis etiam electum, praesertim ab Henrico de Virnenborch Coloniensi archiepiscopo, qui Fredericum non Aquisgrani coronavit in forma, sed in Bonna.[703]) Quapropter a Ludowici fautoribus[704]) gravissima perpessus est damna, maxime a Gerhardo comite Juliacensi et Engelberto Marchiae comitibus, quibus et ipse ut vir bellicosus vices in damnificando[705]) reddidit. Gessit quoque bella comes Gerhardus cum Reinoldo domino de Valckenborch, quem post terrarum devastationes, damnaque sibi mutuo illata, acri praelio victum cepit cum nobilibus et militaribus centum, captumque Reinoldum in arce Nideggen usque adeo[706]) detinuit, donec se ipsum et nobiles secum detentos, ingenti aeris summa redemisset. Ceterum Reinoldus comes de Valckenborch, quatenus expositam auri vim recuperaret, exactiones in terra sua gravissimas fieri jussit,[707]) nedum[708]) de agris et bonis suorum subditorum verum etiam de bonis[709]) Leodiensium, Trajectensium et Brabantinorum in ejus principatu locatorum; Quamobrem a Joanne duce Brabantiae et Leodiensi episcopo bello impetitus, toto dominio de Valckenborch spoliatur, omnibus suis castris captis et inter principes partitis. Ao. dni. 1318[710]) accidit ista dominorum de Valckenborch extinctio. Obiit vero Gerhardus Juliae comes clarissimus a. D. 1325, postquam annis 26 suis subditis optime praefuisset.

Engelbertus comes de Marcha 8^{vus}, princeps ad bella doctissimus[711]) cui nobilis Ursula, Burgravii Arenbergensis filia et Gerhardi Juliae comitis ex sorore neptis, enixa est Adolphum successorem, Engelbertum Leodiensem episcopum indeque Coloniensem archiepiscopum, Everhardum quoque canonicum Coloniensem et Leodiensem. Nempe a. D. 1308 Engelbertus comes Marchiae, Conrado de Monte Monasteriensi episcopo auxilia praestans, diœcesin invasit Osnaburgensem, cujus praesul Ludowicus, subsidiariis suo-

---

703) sed in Bonna fehlt in H. und D. — 704) fratribus, H. — 705) in inferendis damnis, B. 2. vires in damniferendo, H. — 706) tam diu, B. 1. — 707) imposuit, B. 1. — 708) non solum, B. 2. — 709) Die Worte suorum subdit. — de bonis fehlen in H. und D. — 710) 1308, H. und D. — 711) deditissimus, H. und D.

rum amicorum et civium copiis suffultus, conserto cum illis praelio victor evasit, multis illorum captis et occisis. Engelberto siquidem[712]) a vulneribus illo in bello acceptis sanato, recollectis circumquaque iterum militum cohortibus, praefatam rursum diœcessin impugnans, usque adeo Ludowicum praesulem damnis et devastationibus perpulit, donec redivivae pacis munia ad libitum nactus fuisset. Quo etiam tempore castrum Wassenborch Coloniensis episcopi Henrici,[713]) hostis sui potentissimi, armis impugnatum solo aequavit. Denique a. D. 1312 interfecto Romae Theobaldo de Barri Leodiensi episcopo, Adolphus de Marca praepositus Wormatiensis, Engelberti germanus, a Clemente papa V. qui ipsum diaconum ordinaverat, Leodiensis declaratur episcopus. Veniens itaque ex romana curia Leodium, maximo omnium tripudio receptus; in festo nativitatis domini primitias missae deo obtulit, praesentibus ibidem Engelberto Marchiae, Theodorico Cliviae, Adolpho Montensi et Hannoniae comitibus, cum suae diœceseos nobilibus et primoribus. Fuit quippe vir apprime doctus,[714]) moribus pollens, virtute conspicuus, pacis amator et instaurator, doctorum ac religiosorum virorum ardentissimus promotor, qui nisi provocatus arma desumpsit. Anno etenim D. 1320 a duce Limburgensi damnificatus et injuriis affectus, grandi collecto exercitu principatus illius villas agrosque demolitus est, fratre suo Engelberto comite Marchiae, castrum Strünckede interea impugnante. Deñinc Leodienses natura inquieti et instabiles, Adolpho praesuli rebellantes, clerum insuetis oneribus et vectigalibus, contra ecclesiasticam certe libertatem vexare cœperunt, jura quoque ecclesiastica[715]) et jurisdictionem praesulis detrectare, nonnullos militares, oppida et civitates sibi confœderantes. Quapropter Adolphus episcopus et pastor fidelissimus,[716]) implorato amicorum subsidio, potentissimum recollegit exercitum, in quo erant Engelbertus Marchiae, Theodoricus Cliviae, Reinoldus Gelriae, Adolphus Montium,

712) autem, B. 1. — 713) Henrici fehlt in B. 1. — 714) eruditus, B. 1. — 715) eccles. fehlt in B. 1. — 716) ceu pastor fidissimus, B. 1. und 2.

Gerhardus Juliae comites, cives[717]) quoque de Hoya et quarundam civitatum sibi adhuc subditarum auxilium;[718]) quorum siquidem ope suffultus, Tungrum obsidione lassatum intercepit; tribus denique[719]) vicibus atque locis, Leodienses bello victos fudit,[720]) multis captis et multo pluribus interemptis, utpote in Narbou monte, in Hunifler et apud s. Treudonem. Postremo autem Gallorum regis ordinatione, pacis fœdera inter Adolphum et Leodienses stabilita sunt, episcopo cum clero ad urbem regrediente a. D. 1328.[721]) Obiit tandem Adolphus de Marca, Leodiensis antistes, post virtutum varia insignia a. D. 1343, in ecclesia ejus cathedrali sepultus. Cui providente papa Clemente VI. Engelbertus, filius Engelberti Marchiae comitis, cujus gesta perstringere cepimus, successit. Is denique Engelbertus comes, terminato Leodiensi bello, aliud ocius assumpsit cum Ludowico de Hassia Monasteriensi antistite, qui tempore infirmitatis suae, ex crucis collisione accidentis, Marchiae comitatum praedando et cremando pervaserat, castrumque Porteslere[722]) obsidione vallaverat oppidumque Hammonis intercipere maturabat. Engelbertus vero, adjutus copiis comitum de Monte et Virneborch, praesulis Ludowici exercitum adorsus, ipsum cepit cum nobilibus multis et civibus. Monasterienses denique ea clade accepta, copias instaurantes, Marchiam invadunt et captum eorum praesulem vi extorquere moliuntur; Veruntamen fefellit eos opinio et in contrarium versa est sententia.[723]) Engelbertus nempe[724]) animosior effectus ex victoria, eosdem binis congressionibus et praeliis superavit, semel op der Landtweer et iterum in Rüssenborch multoque plures accepit militares. Vltimo amicis ventilantibus, pax inter comitem et praesulem decernitur, qui pro sua suorumque militarium concaptivorum liberatione,[725]) maximam auri vim[726]) Engelberto comiti Marchiae

---

717) comes, H. und D. — 718) auxilium fehlt in B. 1. und 2. — 719) demum, B. 1. deinde, B. 2. — 720) fudit fehlt in B. 1. — 721) episcopo — 1328 fehlt in H. und D. — 722) Porteslere fehlt in B. 1. H. und D. — 723) spe sua falsi sunt; nam Engelb. B. 1. — 724) vero, H. und D. — 725) redemptione, B. 1. — 726) congeriem, B. 1. und 2.

erogavit a. D. 1324. Quo quidem bello vix sopito Engelbertus[727]) Ludowici Bavari, electi in schismate imperatoris, partes fovit, ardua pro illo certamina subiens contra Henricum de Verneborch Coloniensem archiepiscopum, qui Fredericum Austriacum elegerat. Nam assistentibus sibi Joanne Bohemiae rege et comite Hannoniae, arcem Volmestein interceptam solotenus[728]) dejecit, praesule tum Henrico in Zusato existente, neque impedire valente. Romam dehinc cum Ludowico petens, decanatum Coloniensem et praeposituram Boppardiensem Engelberto filio impetravit et pro Everhardo filio praebendas in Coloniensi et Leodiensi ecclesiis obtinuit. Moritur autem a. D. 1328, in Vrendenborch sepultus.

Adolphus Henrici de Monte domini de Windeggen[729]) et Agnetis de Marca filius, comes decretus est Montium a. 1308, defunctus est sine liberis, Adolpho et Wilhelmo patruis suis comitibus de Monte successivis. Genuit autem ex clarissima comitis de Nassaw filia Adolphum et Wilhelmum atque Margaretham, Gerhardo Juliae duci, primi filio secundogenito, copulatam. Attamen cum Adolphus et Wilhelmus filii ipsius, naturae et legum reverentia posthabita, adversus genitorem eorum Adolphum comitem, inimicitias et bella tempore certo gessere, idcirco Deo vindicante, ambo absque liberis, floridae aetatis tempore decesserunt,[730]) Margaretham sororem, comitatus de Monte relinquentes heredem. Hoc denique modo comitatus ille ad Juliacensem lineam derivavit et iterum Juliacenses de post ad Montenses transierunt, defunctis Reinoldo et Wilhelmo Juliae et Gelriae ducibus. Iste Adolphus comes de Monte, vir in armis strenuus, opem tulit efficacem Adolpho de Marcha, Leodiensi episcopo nepoti, adversus rebelles Leodienses Ludowicum quoque Bavarum electum regem, copiis adjuvit contra Fredericum Austrium et Henricum Coloniensem archiantistitem, illius electorem et defensorem.[731]) cui et damna intulit gravissima

---

727) Die Worte a. 1324 — Engelbertus fehlen in H. und D. — 728) solitarius, H. — 729) Virnenborg Windeggen, H. — 730) e vita sublatus, B. 2. — 731) illius — defensorem fehlt in B. 1.

iterumque ab illo recepit.[732]) Cum quo et Romam profectus, militari decorabatur gloria a rege Ludowico, cujus etiam inductione adhaesit Eduardo[733]) Anglorum regi, adversus Gallorum regem decertanti, quemadmodum sparsius in sequentibus dicetur.[734]) Deinde Reinoldo Gelriae duci primo, bellica adduxit praesidia, in Joannem ducem Brabantiae castra moventi Postremum omnium rerum inimica mors, comitem Adolphum abstulit 1348, principatus sui anno 40, in Monte veteri apud parentes terrae commendatus.

Theodoricus cognomine pius, Ottone germano absque prole masculina deficiente, comes factus est Clivensis 27mus tempore schismatis inter Ludowicum et Fredericum imperatores electos, praeseditque annis 37; magnarum utique dotium princeps, tantaeque pietatis et clementiae, quod pii cognomen sortitus sit. Genuit vero ex illustrissima Margaretha, Reinoldi Gelriae comitis filia et Reinoldi ducis primi sorore, unicam sobolem Margaretham, Adolpho Marchiae comiti desponsatam. Ceterum Ludowicus dux Bavariae, a nonnullis electoribus in regem Romanorum electus, summopere sategit, quatenus Theodoricum hunc Cliviae comitem sibi confœderaret et animum illius retraheret a Frederico Austriae duce ejus nepote, etiam a quibusdam in regem electo. Quamobrem sibi concessit privilegia grandia, utpote quod Telonia duo[735]) in Griet et Huissen locare posset,[736]) illamque pecuniarum summam imperatoris nomine redimere, quam Wilhelmus Montium comes dudum super Duisburch erogaverat. In Westphalia quoque ipsum imperii vicarium instituit adversus Henricum Coloniensem Archiepiscopum, hostem infestissimum. Insulam caesaris praesuli ademptam, Theodorico commisit cum privilegiorum omnium priscorum confirmatione a. D. 1315. Theodoricus vero Cliviae comes, germano suo Joanni, Coloniensi archidecano, pro hereditatis paternae portione assignavit ad vitam ejus duntaxat Lynn et Orsoy atque 400 marcas[737]) Brabantiae ex telonio Nuys-

---

732) similia perpessus est, B. 2. — 733) aliquando, H. und D. — 734) quemadmodum — dicetur fehlt in B. 1. — 735) domino, H. — 736) in Greit et Buisen, D. — 737) 300 marcas, H.

siensi, cui et Walramus nepos, Coloniensis archiepiscopus, 200 adjecit reales ex telonio Berckensi annue solvendas. Dehinc castrum cum dominio de Holte, comiti Montensi impignoratum, multo redemit aere a. 1334. Cumque Theodoricus comes bellicis in rebus esset expertissimus, quamplurima cogebatur bella peragere cum principibus diversis, quibus vel sanguine vel fœdere junctus erat, contra lethales eorum hostes. Nam a. 1314, convenientibus apud Francofordiam sacri imperii electoribus, bifariamque se dividentibus, schisma pestiferum excitarunt; nam Moguntinus et Trevirensis episcopi, Joannes rex Bohemiae et marchio Brandenburgensis, Ludowicum Bavariae ducem pronunciarunt, ceteri vero tres, Coloniensis archiepiscopus, Henricus dux Saxoniae et palatinus Rheni Ludowici Bavari frater, elegerunt[738]) Fredericum Austriae ducem, Alberti imperatoris filium, quem Coloniensis archiepiscopus Bonnae coronavit. Treverensis vero archiepiscopus Ludowicum coronavit Aquisgrani. Facta est principum Vasallorum et civitatum maxima scissura imperialium, bellaque et damna hinc inde illata partibus gravissima annis 13,[739]) quibus schisma perduravit. Ludowico nempe adhaesere praeter[740]) suos electores, Wilhelmus Hollandiae, Theodoricus Cliviae, Reinoldus Gelriae, Gerhardus Juliae, Engelbertus Marchiae, Adolphus Montium, Joannes Hannoniae comites et civitates ac vasalli inferioris Germaniae usque ad Argentinam Frederico autem auxilia praestitere sui electores, nec non et Germaniae superioris principes et civitates ferme omnes. Electi denique reges, cum eorum adhaerentibus sese persequentes, quatuor in locis congressi sunt, apud Esslingen Suaviae, apud Spiram, apud Argentinam et Wisbaden, in quibus quidem praeliis Ludowicus semper victor evasit, Frederico fugiente vel bellum detrectante. Tandem prope Ottingen et Mohlendorp electorum regum exercitibus in praelio concurrentibus, conflictu ab ortu solis usque ad occasum perdurante, Ludowicus victoria potitus, Fredericum cum fratre cepit atque in vinculis detinuit usque

738) Ceteri vero electores elegerunt, B. 1. — 739) 23, D. — 740) adhæsere sui electores, H., D. und B. 2.

ad mortem. Extunc principes et civitates, Frederico prius faventes, data a Ludowico pace, ad ipsum defecerunt a. D. 1317. Verum papa Joannes XXII. Ludovicum ceu ecclesiae hostem deposuit, omnesque vasallos imperii, a fidelitatis juramento absolvit. Quapropter ira succensus Ludowicus, implorato suorum adhaerentium principum subsidio, collectisque pugnatorum equitum et peditum selectissimis copiis,[741]) Alpes transiit et Mediolanum movens, coronam accepit argenteam ab episcopo, sed non absque commodis;[742]) nam afflictis et humiliatis vicecomitibus Guelfis, pontifici faventibus, multoque auro mulctatis, ope Castruccii et Gibellinorum Romam pervenit, ubi cum regina uxore, filia comitis Hollandiae, accepit auream coronam, non a papa Joanne fugiente, sed a Stephano de Columna urbis praefecto, cujus etiam et senatus consilio, Joannem papam doponens, alterum instituit, Fratrem Petrum de Corbaria ordinis minorum, Nicolaum V. denominatum. Quo etiam tempore Ludowicus caesar plures ex germanis proceribus milites creavit, utpote Theodoricum Cliviae, Reinoldum Gelriae, Wilhelmum Juliae, Adolphum Montium comites, plurimosque alios nobiles et illustres. Quibus auditis a Joanne papa XXII. Ludovicum cum omnibus suis adhaerentibus principibus[743]) excommunicavit atque interdictum in civitatibus et in terris sibi faventibus fulminavit, annis persistens 17, quod quidam cum timore observarunt alii vero deridebant. — Auxilia insuper haud contemnenda Theodoricus comes Clivensis praestitit Adolpho de Marcha nepoti, episcopo Leodiensi, contra cives suos et civitates sibi reluctantes, ut dictum est.[744]) Deinde cum Eduardo Anglorum rege fortiter bellavit adversus Philippum[745]) Francorum seu Gallorum regem, pro regno Franciae decertanti. Nam a. 1333 Eduardus Angliae rex, Francorum regnum sibi devolutum ex materna hereditate asserens, multifarie et multis modis excogitavit illud occupare.[746]) Quapropter ad Ludowicum imperatorem, Gallorum

741) collectis selectiss. copiis, B. 1. — 742) ingenti commodo, B. 2. — 743) principibus fehlt in B. 1. — 744) contra cives — dictum est, fehlt in B. 1. — 745) Fredericum, D. — 746) recuperare, H.

regis hostem, in Renss prope Confluentiam veniens, se imperio subdidit, instituitque caesarem vicarium suum et marschallum adversus Philippum Valesianum, Francorum regnum occupantem. Quo expleto confluxerunt ad eum omnes Germaniae principes a Ludovico imperatore instigati, utpote Ludowicus caesaris filius marchio Brandenburgensis, Joannes dux Brabantiae, Theodoricus Clivensis, Reinoldus Gelriae, Wilhelmus Juliae, Adolphus Marchiae, Adolphus Montium, Lossensis et de Vernenborch comites, aliique illustres et nobiles milites copiosissimi, quorum ope suffultus, Eduardus Anglorum rex, Franciam invadens, universa flammis ferroque demoliendo, ad Lutetiam usque Parisiorum urbem cum exercitu processit,[747]) occupata prius Nortmandia et Flandria; cumque instante hyeme in Angliam trajicere moliretur,[748]) Eduardus rex, dimissis in Flandria Germanis, ecce[749]) juxta Sclusam occurrit sibi Philippus Francorum rex classe navium trecentarum, consertoque navali praelio maximo et diuturno, victoria cessit Eduardo, captis navium ducentis cum proceribus[750]) plurimis et triginta hominum millibus caesis et submersis. Ea elatus victoria, Eduardus ilico pede retracto et ad germanicas copias reversus, Francorum regnum pene evacuatum irrumpens, omnia prius intacta et reservata demolitus est. Ceterum Philippus Gallorum rex, post unius anni treugas, animo et viribus resumptis, universorum ejus amicorum auxilio invocato et selectissimis copiis resarcitis, Eduardo regi bellum indixit. Pugna itaque in vico Cryssi apud s. Jodocum commissa,[751]) strages editur cruentissima, a mane usque ad vesperam pugna extenditur, sed Deo favente iterum superantur Franci, caesis 28 virorum millibus cum Joanne Bohemiae et Navarrae rege, Burgundiae, Lotharingiae et Alensoniae ducibus, Flandriae, Artesii,[752]) Namurcensi et Salmorum comitibus, pluribusque illustribus dominis et militaribus a. D. 1345. Tunc Eduardus rex obsedit Calisium maris portum, a quo ex Flandria in Angliam

747) concessit. B. 2. — 748) niteretur, D. — 749) 400, D. — 750) principibus, D. — 751) quo in vico — conserto, B. f. H. und D. — 752) Achesii, H.

naves pergunt atque revertuntur,[753]) quem et obtinuit mense decimo et usque hodie Angli possident.[754]) Mortuo autem Philippo rege Francorum, Joannes filius successit in regno, qui et reparatis undecunque copiis, cum Eduardo congressus est et Germanis in comitatu Pictaviensi post pugnam diuturnam succubuit, captusque fuit cum filio suo Philippo de Hardy[755]) Burgundiae duce, aliisque proceribus multis et in Angliam perductus, maximo se auro redemerunt qui cum eo capti erant,[756]) in quo etiam bello centum millia pugnatorum[757]) caesa feruntur. Quo facto Eduardus desolatum Francorum regnum facillime occupavit, scribens se regem Francorum et Anglorum. Quod tamen depost Carolo Joannis filio restituit, datis sibi tricesies centum millia aureorum coronatorum millibus.[758]) — Praeterea Theodoricus comes Clivensis bellica etiam praesidia attulit Wilhelmo Hollandiae comiti, in obsidione et correctione civitatis Trajectensis, quam obsedit exercitu potentissimo, in quo erant comites 13, barones 52, milites 200, praeter residuos nobiles. Verum cum Joannes de Arckell Trajectensis praesul, Deo et hominibus charus, ad Wilhelmum in castris agentem pervenisset, irati comitis animum mitigavit, sicquod civitatis rectores[759]) et primates, decalceati et seminudi ad Wilhelmum venientes et in terram prostrati, injuriarum illatarum veniam poscerent. Quo facto obsidionem solvit et in Phrysios sibi rebellantes arma vertit; sed in malum suum, quia a Phrysonibus caesus fuit,[760]) cum tribus navium classibus, inordinate una post alteram adnavigantibus. Pugnavit quoque Theodoricus Cliviae comes cum Reinoldo Gelriae duce primo, cujus sororius erat, contra Brabantinos et Leodienses decertante, ut paulo post dicetur latere sequenti.[761]) Cumque divini cultus esset amator[762]) praecipuus, collegium canonicorum in

[753]) atque revert. fehlt in B. 1. — [754]) et in hodiernum diem Anglici eum possident, B. 2. Dieser Nachsatz fehlt in B. 1. — [755]) Ph. Richardi, B. 1. — [756]) quos in Angliam perducens tandiu retinuit captivos, donec se grandi auri mole redimerent, B. 1. — [757]) pugnatorum fehlt in H. — [758]) Tribus centum millibus, H. und D. acceptis ab eo tricesies centum aureorum milibus, B. 1. — [759]) sicque civitatis doctores, H. — [760]) quando a Phrys. cæsus extitit, H. — [761]) ut paulo post — seq. fehlt in B. 1. — [762]) ornator, D.

Maurenborch prope Calcker[763]) fundatum a Theodorico comite, 24 praebendis[764]) et fructibus augmentatum, ad ecclesiam b. Mariae virg. Clivensem transtulit a. D. 1347 quo anno vita functus, in eadem ecclesia congruis honoribus sepelitur.

Primus Gelriae dux.[765])

Reinoldus Gelriae et Zutphaniae comes 8 et ultimus, primusque dux annis rexit 17 solus et cum patre[766]) Reinoldo annis 8. Quem ob excellentes virtutes, animique et corporis dotes, Ludowicus imperator ex comite ducem creavit a. 1339. Genuit autem ex filia unica Bartholdi[767]) domini Mechliniae[768]) Sophia, Mechtildim comitissam Clivensem, Margaretham in cunis decedentem[769]) atque Isabellam abbatissam Vallis-comitis, Mariam quoque Juliae ducissam, ex qua Reinoldus et Wilhelmus Gelriae et Juliae duces descenderunt. Ceterum ea uxore prima defuncta et in Vallis-comitis tumulata a. 1336, Alienoram duxit Eduardi Angliae regis sororem[770]) ex qua Reinoldus Gelriae bellicosissimus comes, prima in Joannem Brabantiae ducem arma extulit.[771]) Cum enim Joannes dux filium suum recusaret copulare filiae regis Philippi Gallorum, quem sociare decreverat unicae filiae comitis Hannoniae sollicitatione regis Philippi, Reinoldo Gelriae comiti, adversus Joannem ducem tumultuanti, adhaesere principes infrascripti: Carolus rex Bohemiae, Henricus Coloniensis archipraesul, Adolphus de Marca Leodiensis episcopus, Theodoricus Cliviae, Wilhelmus Juliae, Adolphus Montium, Adolphus Marchiae, Lossensis et Namurcensis comites, qui selectissimum comportantes exercitum, cum Reinoldo Gelriae comite negotii autore[772]) in Brabantiam irruerunt, Landem, Fexen pluresque villas devastantes, quorum multitudine excessiva territus, dux Joannes regi optemperavit, qui et missis ilico legatis,

763) Outecker, D. — 764) 240 præb., D. — 765) Die Ueberſchrift fehlt in B. 1. H. u. D. - 766) fratre, ohne Angabe ſeines Namens, D. — 767) Florentii, D. — 768) Messelviae, H. Melhelmiae, D. — 769) in cunis decedentem fehlt in H. und D. — 770) filiam, D. — 771) sumpsit, B. 2. — 772) antesignano, B. 2.

pacem inter Reinoldum et Joannem ordinavit, ita quod Reinoldi filius filiam haberet Joannis ducis conjugem, Tyle quoque oppidum cum villis Zantwick[773]) et Herwerden remanerent Gelriae comiti, quorum loco Joannes dux allas villas et dominia circa Huisden sitas obtineret, quodque[774]) illorum dominia essent libera, neque feuda a se mutuo accipere tenerentur, cives tamen Busco- ducis in teloniis Gelriensium vectigales remanerent et essent deinceps. Accidit ista pacis reformatio a. D. 1327. Verum bello isto vix terminato, aliud inter Reinoldum Gelriae comitem et Joannem ducem atque Leodienses bellum resurrexit; cum enim Reinoldus fortissime tueretur partem Ludowici Bavari electi imperatoris ut antea diximus, essetque cum illo in expeditione Italica implicatus, Joannes dux Brabantiae Leodiensibus fœdere junctus, Gelriae principatus, terras et villas praedando pervasit et vehementer afflixit, quando Adolpho praesuli jam dudum bellica praesidia destinasset. Reinoldus vero comes ad propria mox regressus, amicorum auxilia implorat et accepit; nam ope Theodorici Clivensis, Adolphi Montium et Wilhelmi Juliae comitum ceterorumque aulae regalis principum, Joanni duci Brabantiae et Leodiensibus bellum obtulit campestre, quo in Haessfeldt consito et caede maxima edita, Reinoldus victoria potitus, novem occidit millia, plurimis quoque captis et aere multo mulctatis a. D. 1328. Ea denique tempestate Reinoldus Gelriae comes civitatem Mechliniae, intuitu uxoris suae prioris sibi attinentem, vendidit Flandriae comiti pro centum realium millibus, sic tamen quod Leodiensi ecclesiae feudalis permaneret. Quapropter denuo permotus Brabantiae dux Joannes, cui cives Mechliniae deditissimi erant, inimicus effectus comitis Flandriae et episcopi Leodiensis. Fiunt[775]) hinc inde terrarum[776]) depopulationes, abbatia Affligensis ditissima incineratur et Wilhelmus Juliae comes arcem Rode Brabantinis ademit; inde moderatione Gallorum regis pacificati sunt et paulo

---

[773]) Zaulswick, H. — [774]) quorum. — [775]) fuerant. B. I. H. und D. — [776]) terrarum fehlt in H. und D.

post Mechliniensis civitas igne quasi omnino consumpta extitit a. 1336.[777]) Ceterum illo vix bello terminato,[778]) Reinoldus Gelriae adhuc comes, omni qua potuit virtute bellica, Eduardo Anglorum regi sororio succurrit in acquirendo Gallorum regno, velut dictum est.[779]) Quamobrem Eduardo sollicitante, Ludowicus imperator ipsum ex comite ducem creavit a. 1339, qui et Wilhelmum Juliae comitem eo tempore marchionem designavit. Haud longe post Reinoldus dux Gelriae primus, maligno stimulatus spiritu, Alienoram de Anglia conjugem a se repudiavit quoad thorum et discum, leprae illi maculam imponens. Verum cum in diaeta procerum et civitatum laetaretur Reinoldus apud Neomagium, supervenieus Alienora cum Reinoldo et Eduardo filiis, solo tecta pallio super camisiam, rejecto pallio se seminudam exhibens dixit ad maritum simulque discumbentes: ecce proceres civesque optimi, vestrae ducissae leprain! estne corpus hoc lepra resparsum? et ad Reinoldum conversa ait: ecce filios, tibi progenitos marite! de quibus nec tu, nec ducatus Gelriae filios videbit, in maximam universorum incolarum[780]) desolationem! Quod ita postea evenit; nam illis decedentibus seque mutuo persequentibus, Juliae ducis filii successere, indeque Egmondenses, quemadmodum infra dicetur. Ipse Reinoldus conventum carmelitarum in Gelria et carthusianorum prope Arnheim: Moninckhuyssen vocitatum, instituit, in quo sepultus requiescit, a. 1343 defungens. Ipsa vero Alienora fratrum minorum in Daventria fundatrix, obiit a. 1355, penes Reinoldum in Moninckhuyssen tumulata. Nec silendum quod iste Reinoldus primus Gelriae dux, cum in mutatione dignitatis permutarit et arma principatus; nam dimissis armis comitatus: leone scilicet aureo cum hastulis, assumpsit leonem absque hastulis cum cauda dispartita; ex cujus quidem mutationis ignorantia, quamplurimi et olim et hodie decepti sunt et decipiuntur, nescientes distinguere inter arma comitatus atque ducatus.

---

[777]) 1338, H. und D. — [778]) Post hoc bellum, B. 1. — [779]) velut dictum est, fehlt in B. 1. — [780]) malorum, H. und D.

Adolphus comes de Marca 9^nus^, gubernavit annis 19, princeps animo[781]) prudens, magnificus[782]) et in rebus bellicis longa exercitatione peritus, qui ex clarissima Margaretha, Theodorici[783]) comitis Clivensis filia, Engelbertum suscitavit successorem, Adolphum electum Monasteriensem et Colouiensem archiepiscopum, tandemque Cliviae comitem, Theodoricum quoque comitem de Dinslacken, Everhardum canonicum Coloniensem atque Margarethaui comitissam de Nassawe. Cumque singulari in deum devotione ferveret, Hierosolymam petens, loca sacrata, Christi sanguine perfusa, perlustravit a. D. 1331. Hinc ad propria regressus, opem tulit potentissimam Adolpho de Marca Leodiensi Episcopo contra Joannem Brabantiae ducem et Leodienses belligeranti. Quos ope Reinoldi comitis Gelriae et Theodorici Cliviae, bello in Haessfeldt comunisso fudit, caesis novem hostium millibus. Anno autem D. 1340 Conradus de Marca cum uxore de Holte aedificare cepit monasterium clarissarum[784]) prope Huerden,[785]) in quo multorum principum et nobilium filiae monasticam depost sumpsere disciplinam. Nec longe post Clemens papa VI. natione Gallus, inductione regis[786]) Philippi imperio privavit Ludowicum imperatorem, curavitque eligi Carolum Bohemiae regem. Quare Ludowici inductione invaserunt Walramum Colouiensem archiepiscopum de Juliaco, Adolphus de Marca, Godefridus de Arnsberch, de Waldegge et Lossensis comites, quoniam ipso derelicto Carolum elegerat pluraque in Coloniensi diœcesi damna exercebant et devastationes.[787]) Cumque Walramus amicorum ejus suppetiis, Marchiae comitem magis sibi infestum impetens, oppidum quoddam devastasset et plerasque villas ab Adolpho comite suisque adhaerentibus bello[788]) invasus, succubuit praesul cum equitibus trecentis apud Recklinckhuisen.[789]) Denique hoc praelio vix expleto, aliud reassumere cogebatur comes Adolphus cum Engelberto fratre suo

781) omnino, D. — 782) magnificus fehlt in H. und D. — 783) Theodorici fehlt in D. — 784) clarissimorum, H. und D. — 785) Huisden, H. — 786) regis fehlt in H. und D. — 787) depraedationes, B. 1. und 2. — 788) bello fehlt in H. und D. — 789) Rellinghausen, H.

Leodiensi episcopo, adversus rebellantes illi Leodienses. Anno enim D. 1346 devoluto ad Leodiensem ecclesim comitatu Lossensi, Engelbertus antistes, capitulo consentiente, illum Joanni de Hinsberch[790]) in feudum concessit, ceu heredi propinquiori. Quare indignati cives et plerique nobiles, tumultu exercitato, quosdam canonicos occiderunt; alios vero una cum clero urbe pepulerunt. Inde aliis civitatibus in partem eorum perductis, castra ecclesiae Claremondt, Arckentals et Hemele diuturna obsidione capta, solo aequaverunt. Engelbertus vero tanta affectus contumelia, imploratis amicorum subsidiariis copiis, utpote Joannis regis Bohemiae, Johannis ducis Brabantiae, Adolphi Marchiae germani et de Valckenborch comitum, Leodiensibus eorumque confœderatis viriliter occursans, congressione inter Valemam et Thurins[791]) simul exacta, victoria potitur praesul,[792]) multis hostium caesis et captivatis. Inde Valemam et Varemiam exussit, oppidum s. Trudonis in deditionem recepit, ipsamque civitatem Leodiensem obsidione vallavit, eoque perduxit cives, ut veniam commissorum petentes, clerum restituere damnaque illata resarcire promitterent. Ceterum Engelberto praesule[793]) obsidionem solvente et exercitum remittente, cives denuo protervientes in clerum, promissa omnia explere recusabant; quare iterum arma sumentes Leodienses cives, gentemque praesulis ex improviso[794]) aggredientes, quamplurimos occiderunt cum domino de Valckenborch. Tunc Engelbertus auxilio Reinoldi Gelriae ducis, Joannis Cliviae et Adolphi Marchiae et Namurcensis comitum, Leodium iterum obsedit, civesque egredientes et illius castra invadere satagentes, dolose retrocedens, fugat usque in campum Torlegen[795]) bellis aptum, ubi diuturno et cruentissimo[796]) certamine inito,[797]) praesul superior effectus, sedecim millia civium trucidavit, ubi Reinoldus Gelriae dux et Joannes Cliviae comes militari ornabantur

---

790) Himborch, H. u. D. — 791) Valoniam et Thuni, H. u. D. — 792) præsul fehlt in B. 1. — 793) præsule fehlt in H. und D. — 794) improvisam, H., D. u. B. 2. — 795) Therlege, H. Torleyn, B. 2. — 796) truculentissimo, B. 2. — 797) prælio, D. bello collato, H.

triumpho, ubi et cecidere de exercitu Gelriae ducis Hupertus Schenck dominus de Kuylenborch, Rupertus de Arckell dominus de Aspern, Bartholdus de Oy et domicellus de Batenborch a. D. 1346,[798]) quo etiam anno Adolphus comes de Marca diem obiit extremum, in monasterio Vrendenborch cum uxore Margaretha terrae mandatus.

Walramus Gerhardi Juliae comitis et Elisabeth de Clivis filius, in utroque jure licentiatus, Coloniensi praeficitur ecclesiae a. D. 1343 a Joanne papa XXII. promotus ob scientiarum generis et morum amplitudinem, seditque annis quindecim. Verum quia Coloniensis diœcesis ab Henrico suo praedecessore, episcopo bellicoso, exactionibus et devastationibus vehementer vexata extitit,[799]) Walramus animo quietus, pacem cum universis quondam hostibus confecit, aedificavit castra pleraque et diruta reparavit, aliaque fortiora reddidit, utpote Godesberg, Bruell, Hardt[800]) oppidumque Mendene a Marckensibus vastatum, Lechenich a praedecessore suo ceptum[801]) consummavit, non obstante indignatione fratris, Wilhelmi Juliae comitis. Nonnulla insuper castra et dominia ecclesiae suae acquisivit, scilicet Reimbach, Oyde, Poppelstorp, Seyensberch, Nordernahe, Zelranck cum terra Kempensi. Monasterium carthusianorum in Colonia erexit, crucemque inter Bonnam et Godesberch, quae hodie usque cernitur, locavit. Debinc ab Adolpho de Marcka et Godefrido de Arnsberch comitibus damnis affectus, bellare[802]) coactus est atque in praelio succubuit, trecentis equitibus amissis, pro quorum redemptione castra pleraque impignorare cogebatur. Inde expensis parcere volens, Parisiorum urbem, ubi olim studuerat, petiit, ibique diem claudens extremum, Coloniam funus suum deferri ordinavit a. 1349.

Joannes Ottonis et Theodorici comitum defunctorum germanus ex Coloniensi archidiacono,[803]) comes effectus fuit

---

798) 1347, B. 2. — 799) attenuata fuit, B. 1. und 2. — 800) Huitt, D. Hürdt, H. — 801) captum, B. 2. H. und D. — 802) rebellare, B. 1. H. und D. — 803) et Coloniensis archiepiscopus, H. und D.

Clivensis 28^vus^ Ludowico IV. et Carolo IV. imperatoribus. Vir in utroque jure eruditissimus, clementia et liberalitate insignis; verum ex Mechtilde filia illustrissimi principis Reinoldi Gelriae ducis primi, nullas excitavit proles.[804]) Ipso quippe dominante contigit terribile miraculum in Clivensi ecclesia de venerabili sacramento, quod ad litigantium duarum mulierum controversias sedandas, omissa sacramentali solita specie, in crudam versum est carnem, quemadmodum usque hodie in eadem ecclesia conservatur et videtur.[805]) Ceterum Joannes comes, tametsi a clericatu ad comitatum esset accitus, bellicis attamen rebus dare operam cogebatur. Primo siquidem sui principatus anno, Engelberto de Marcka Leodiensi episcopo nepoti, auxiliares exhibuit copias, quandoquidem rebellantes sibi Leodienses armis compescuit et in uno praelio apud Haessfeldt conserto, sedecim rebellium millia caecidit; ubi Johannes hic Cliviae comes[806]) militari decorabatur gloria. Exorta deinde exitiali partialitate inter Reinoldum et Eduardum germanos, super Gelriae ducatus proprietate, de qua re fusius in sequentibus tractabitur,[807]) Joannes comes, amborum sororius, partem fovit Reinoldi natu majoris; quare ab Eduardo ejusque parte variis affectus est damnis et cladibus; cumque ab Eduardo praevalente Joannes[808]) dotem sibi repromissam cum Mechtilde de Gelria uxore illiusque sorore expeteret[809]) illeque priscarum memor injuriarum exsolvere recusaret, ad arma ventum est. Eduardus denique ingenti exercitu[810]) ex Goch proficiscens, villam Wischell, Tyll omnesque circa Griet[811]) et Calcker, ubi nullus antea praedator accesserat,[812]) demolitus est villas. Nec timens Joannes[813]) comes contractis amicorum circumquaque subsidiariis cohortibus, consimilia in Dufflia et circa Neomagum damna Eduardo ingessit, ipsamque civitatem Neo-

---

804) soboles, B. 2. — 805) conservatum videre est, B. 2. — 806) Cliviæ comes fehlt in B. 1. — 807) de qua — tractabitur, fehlt in B. 1. — 808) damnis; accidit postea quod Eduardus prævalerct Joannes, B. 1. — 809) expleret, D. — 810) ingenti exercitu fehlt in B. 1. — 811) Briett, D. — 812) comparuerat, B. 1. — 813) Joannes vero æque animosus, B. 1.

magiensem clam intercipere sategit,[814]) Ottoni de Lœnen[815]) et Henrico Boett Eduardi consiliariis[816]) cooperantibus atque traditionem pollicentibus; sed imbribus et aëris inclementia praepedientibus, proditione etiam detecta, res proposita mansit infecta.[817]) Eodem quoque tempore civis quidam de Goch Joanni comiti denunciavit, qualiter Eduardus per latrinam domus super Niersam procumbentem sagitta interfici poterat toxicata; quam rem nefariam cum Eduardo duci Joannes significasset, perpendens quod non vitam ejus sed repromissam cum sorore dotem expeteret,[818]) pace simul confecta, Embricam Joanni pignoris titulo jureque dotis contradidit a. D. 1363. Ipse arcem[819]) in Griethuisen fundavit et dominium de Rinderen[820]) aere multo comparavit. Carolo quoque imperatori super Duisborch et Keyserswert ampliorem pecuniarum massam[821]) erogavit, a quo omnium privilegiorum et teloniorum confirmationem obtinuit, quodque telonia de loco in locum commodiorem transferre liceret. Tandem comes Clivensis Joannes, virtute et gratia plenus, obiit a. D. 1368, in Clivensi ecclesia tumulatus. Quo absque liberis defuncto atque cum gladio et clypeo sepulto, grandis inter nonnullos principes, civitates atque nobiles terrae Clivensis[822]) dissentio orta fuit super jurisdictione et proprietate illius; nam Theodoricus de Perwyss, Joannis ex sorore nepos, consiliarius[823]) et commensalis, arcem Clivensem cum Orsoy et Cranenburch usurpavit. Otto de Arckell Joannis ex fratre[824]) Ottone nepos, ope Reinoldi Gelriae ducis, in campo pullorum juxta arcem castra metatus, civium Clivensium, Theodoricum aversantium,[825]) favorem obtinuit. Adolphus etiam de Marca, electus et confirmatus Coloniensis archiepiscopus, ad laicatum aspirans, cum esset Theodorici

---

814) Nec multum abfuit, quin civitatem Novimagensem clam interciperet, B. 1. — 815) Lennepe, H. und D. — 816) consulibus, B. 2, H. und D. — 817) non est sortita effectum, B. 1. — 818) expeteret fehlt in H. und D. — 819) autem, H. und D. — 820) Rindecken, D. Reindeck, H. — 821) summam, B. 1. — 822) Clivensis fehlt in B. 1. H. und D. — 823) consul, B. 2. H. und D. — 824) Die Worte: ex sorore nepos — Otto de Arckell Joannis ex fratre, fehlen in D. — 825) Theodoricum aversantium, fehlt in B. 1. Coloniensium Theodor. accursantium. H.

Cliviae comitis et Joannis germani ex filia nepos, se in comitem a militaribus et civitatibus terrae Clivensis assumi[826]) postulavit et exauditus fuit, ceteris posthabitis, ut alias dicetur.[827]) Ao. autem Dni. 1354 Wesaliensis civitas fortuito igne accensa, prope media parte exusta fuit, cum conventu ordinis praedicatorum, quem ilico Adolphus et Theodoricus germani, magnis sumptibus instaurarunt; ante cujus altare majus Theodoricus de Marca, comes Dinslackensis quiescit.

Wilhelmus Juliae comes regere cepit a. D. 1326, praefuitque annis 36, quem ob singulares virtutes resque strenue gestas, Ludowicus imperator marchionem creavit a. D. 1339; Carolus quoque imperator eandem ob causam ducem instituit. Genuit vero ex Joanna comitis Hollandiae filia Wilhelmum[828]) successorem, Gerhardum[829]) comitem de Monte atque Richardam Engelberto Marchiae comiti desponsatam. Ipse aedificavit Syntzig et aulam in Nideck castro, pluraque confecit praelia admodum gloriosa, cum Ludowico Bavaro, electo Romanorum rege, adversus Fredericum Austriae ducem, a nonnullis etiam electoribus in regem electum,[830]) cum quo et Alpes transiens Romam pervenit. Eduardo quoque Anglorum regi suppetias tulit contra Philippum Gallorum regem decertanti, necnon et Reinoldo Gelriae duci opem tulit adversus Joannem Brabantiae ducem et Leodienses bella gerenti, cepitque tunc arcem Roede Brabantiae ducis, opima[831]) quoque a Leodiensibus bello superatis spolia reportavit. Nec tribulationibus et factione domestica caruit princeps tam fortis.[832]) Nam a filiis suis Gerhardo et Wilhelmo dolose captus et in vincula conjectus fuit; verum coacti per principes patris amicos, ocius liberum dimiserunt. Ea propter proconsules civitatis Aquensis cepit in Lackear,[833]) castrumque Vrendael evertit, quod filiis suis auxilia praestiterant et favores,[834]) ut ab illis contra Dei et naturae legem

826) assumi fehlt in D. — 827) ut alias dicetur fehlt in B. 1. — 828) Gerhardum, B. 1. — 829) Wilhelmum, B. 1. — 830) à nonnullis — electum fehlt in B. 1. — 831) optima, H. und D. — 832) domestica quoque factione minime caruit, nam etc. B. 1. — 833) Lacknar, H. Lacknen, D. — 834) et favores, fehlt in B. 1.

caperetur, qui tamen[835]) ex conceptis mente doloribus, anno sequenti animam efflavit a. D. 1341,[836]) quo tempore cœlestis regio ignita adeo apparuit, ut a simplicioribus cœlum ardere crederetur.

Reinoldus Gelriae dux 2^dus^ comesque Zutphaniensis decimo aetatis suae anno ducare cepit,[837]) praefuitque annis 18.[838]) Uxorem duxit Mariam Joannis Brabantiae ducis filiam, ex qua nullas suscitavit proles; cujus quippe aevo gravissima et sibi et ducatus Gelriae mala et adversa evenerunt. Nam a. D. 1351 vigente et[839]) regnante in Hollandia pestifera factione de Hoix et Cabbeljaw,[840]) etiam Gelriae principatus eodem perniciosissimo malo fœdari cepit,[841]) Reinoldo et Eduardo fratribus, super ducatus possessione et titulo[842]) contendentibus. Cui pestifero malo et schismati, se immiscuere civitates et militares Gelriae ducatus, quibusdam Reinoldo, quibusdam etiam Eduardo faventibus, binasque sectas statuentibus, quarum una de Bronckhorst altera de Heckers vocitabatur. Reinoldo vero adhaesit pars de Heckers civitatum et nobilium, Joannes dux Brabantiae socer, Joannes comes Clivensis sororius, Adolphus de Marca electus Monasteriensis et Coloniensis archiepiscopus. Eduardo autem favebat pars de Bronckhorst cum civitate Neomagensi et aliis quibusdam civitatibus atque militaribus. Engelbertus quoque comes de Marca et Wilhelmus de Bronckhorst, qui quidem partialitatis satores, mutuis bellis, depraedationibus, exustionibus, homicidiis, suspendiis, rotationibus, omniumque malorum generibus sese persecuti sunt et lamentabiliter afflixere annis decem; in quibus parentes in filios, filii in parentes, cives in cives, amici in amicos debachati sunt; adeoque enormiter, ut

---

835) qui tamen, fehlt in B. 1. — 836) 1361, B. 2. — 837) ducatum suscepit, B. 2. — 838) 28, D. H. — 839) vigente et, fehlt in B. 1. — 840) Horken et Calbesaw, H. Horcken et Lattegaw, D. Hoeken et Cabelgau, B. 2. — 841) Gelria simili malo fœdata fuit. B. 1. — 842) super ducatus regimine B. 1. Von hier ab bis zu dem Satze: Postremo autem cum Eduardus, iſt der Text in B. 1. ſo abgekürzt, daß es unthunlich wurde, alle wörtliche Abweichungen deſſelben als Varianten wiederzugeben. Der Sinn iſt weſentlich mit dem Texte der anderen drei Handſchriften übereinſtimmend.

florentissimum Gelriae principatum verterent in solitudinem. Reinoldus quippe suorum fœderatorum copiis adjutus, Tylam, Duisborch, Arnhem, Venloe, Embricam cum castro Lobeth vindicavit sibique subegit. E diverso Eduardus[843]) suorum suffultus auxilio, plura castra Reinoldo faventia diruit, utpote Lont, Boemel et Loens, Avesaett, Tuill,[844]) Appelthorn, Dornick, Syndechem et Balneren.[845]) Postremo autem cum Eduardus Tylam armata manu recuperasset illamque Reinoldus denuo obsidione vallasset, conserto invicem bello gravissimo, Eduardo cessit victoria, capto fratre Reinoldo cum Arnoldo de Arckell, aliisque nobilibus multis, quem in castris Rosendaell et Nienbeeck annis decem captum detinuit, interimque Gelriae ducatum, ex toto sibi usurpatum, administravit.[846]) Accidit caedes ista a D. 1361. Eduardus vero germano captivato, hanc gratiam retulisse fertur,[847]) quia homo erat crassus et corpulentus, quod omnes januas castri de Nienbeeck adeo arctari fecerit et imminui, ut vix homini macilento per eas pateret egressus, quare fratrem auffugere nullatenus valentem, libere per castri officinas ambulare permisit.[848]) Maria itaque Reinoldi conjux viro destituta, arcem Oyen construens, ibi habitavit, pietati et misericordiae operibus insistendo. Post annos vero decem, Eduardo in bello Juliacensi contra Brabantinos tento interfecto, ut dicetur, Reinoldus iterum libertate donatus et dignitatibus restitutus, uno solum anno regnans, mortuus est a. D. 1373, in valle comitis sepultus. Ipsa vero Maria Bruxellis apud Carmelitas inhumata requiescit. Temporibus Reinoldi civitas Arnheimensis igne ex toto conflagrata extitit a. 1354,[849]) quam Gelriae princeps a Prumensi abbate in feudum percipere consuevit.

Wilhelmus comes de Gennep præpositus Zusatensis, Coloniensis archiepiscopus creatur ao. 1349, seditque annis 13, qui dioecesin suam multis praedecessorum debitis

---

843) Everhardus, H. und D. — 844) Loeven, Avesatt, Tulli, H. — 845) Synderen et Balveren, B. 2. — 846) ex toto usurpavit, B. 1. — 847) hanc — fertur fehlt in B. 1. — 848) Statt quo — permisit hat B. 1. ut fere nulla superesset spes fugiendi. — 849) Das Jahr fehlt in B. 1.

et oneribus praegravatam, ocius ditissimam et liberam reddidit; sed quoniam[850]) eam ob causam subditos suos exactionibus et vectigalibus excessivis afflixit plurimum, idcirco odiosus (ut fieri solet) fiebat, qui prius erat dilectissimus. Ipse ope archiepiscoporum Trevirensis et Moguntini, invasit comites de Isenborch, eorumque complices,[851]) mercatorum exspoliatores insignes, provinciarumque et monasteriorum corrosores, quorum castra armis capta everterunt et quos ex illis capere poterant, decollaverunt. Moritur praesul iste ditissimus a. 1362, ingentes auri massas relinquens, quas fiscus apostolicus pro majori parte devoravit.

Engelbertus comes de Marca ao. D. 1347, aetatis vero suae anno 17 principatum[852]) iniit, praefuitque annis 45. Princeps omni laude dignus, qui in rebus agendis se non quasi adolescentem sed ceu virum matura gravidum aetate exhibuit, corpore decorus, animo constans et infractus, clemens et liberalis atque bellorum gloria insignis. Cui nobilissima Richarda, Wilhelmi ducis Juliae primi filia, Margaretham unicam peperit filiam, Philippo domino de Valckenstein matrimoniali fœdere copulatam. Ceterum Engelbertus comes nedum uxoratus, prima in Godefridum comitem de Arnsberch atque Tremonienses illi colligatos arma extulit,[853]) damnaque ingessit plurima, iterumque excepit. Cumque Tremonia ab Engelberti copiis intercepta[854]) ferme extitisset, per secretiora aquaeductuum loca, datis sibi aliquot aureorum millibus, pacem hostibus dedit. Dehinc Godefrido comiti de Arnsberch reconciliato, bellica praestitit subsidia in promotione et inthronisatione[855]) germani sui[856]) electi Bremensis episcopi, contra Mauritium de Oldenborch episcopatus illius invasorem. Congressione quoque invicem facta, triumphavit Engelbertus cum Godefrido, multis hostium caesis et captis. Ea denique guerra sopita, aliam cum Simone de Lippia et Theodorico de Marca[857]) comitibus guerram adversus Min-

---

850) qui, H. und D. — 851) eorum complures, H. und D. — 852) principatum fehlt in H. und D. — 853) movit, B. 2. — 854) excepta, H. und D. — 855) Die Worte: et inthronisatione fehlen in D. — 856) filii, H. und D. — 857) Dynslakensi setzt B. 2. hinzu.

denses assumpsit, qui copiis conjunctis[858]) Mindam obsederunt[859]) oppidumque Lubecke ejusdem diœcesis captum incenderunt. Ex adverso Mindenses implorato amicorum et florenorum auxilio castra comitis de Lippia Vloethowe[860]) et Vorenholt occupantes, bellum hostibus intulerunt, in quo victoria potiti, Theodoricum comitem de Dinslacken, Gervinum et Theodoricum de Volmestein pluresque capientes militares Mindam perduxerunt. Engelbertus vero Marchiae comes, intelligens fratrem suum Theodoricum interceptum,[861]) resarcitis undecunque copiis, tamdiu Mindam reobsedit, donec germanum suum Theodoricum cum ceteris captum, libertate donatum, in castris remitterent a. D. 1350. Sequenti vero anno Engelbertus comes, pace ubique confecta, rebusque suis optime dispositis, quatenus[862]) etiam exterarum[863]) nationum et regionum experientia clarior redderetur, Hierosolymam concessit, terram Christi[864]) sanguine illustratam visurus, ibi et militarem adeptus est gloriam. Inde montem Synai corpore sanctissimae virginis Catharinae frequentatum, devotissime peregrinando accedens, soluto voto ad propria remeavit. Dehinc cruce signatus opem tulit efficacem et personalem, Joannitis et Templariis in debellandis Ruthenis et Muscovitis, fidei christianae pestiferis hostibus, a quibus praeter[865]) indulgentias papales divitias ingentes reportavit; ad quarum ostentationem sexcentos invitavit nobiles apud Montem regalem, quibus sedecim fercula, mille et trecentis florenis constantia, apponi curavit. Deinde ad propria remeans, Eduardo Gelriensi adversus fratrem suum Reinoldum, ob Gelriae ducatus possessionem bella gerenti, auxilia praestitit victoriamque peperit. Ceterum Engelberto comite his expeditionibus insistente, Gerhardus Plettenberch, dapifer et locum tenens, oppidum Roede cum castro, arcemque Clusenstein aedificavit. Magnam quoque aeris summam domino absente aggregavit, ad illius fiscum congerendam. Nec multo post, Eduardo Gelriae duce interfecto

858) adjuvatis, B. 2. — 859) Mindæ adhæserunt, H. und D. — 860) Vlotener, B. 1. und 2. — 861) captum, B. 2. — 862) ut, B. 2. — 863) ceterarum, D. — 864) Christi fehlt in H. und D. — 865) propter, H.

et Wilhelmo Juliae duce ducatum illum invadente, atque pro filio Wilhelmo tutelam gerente, Engelbertus Marchiae comes partes fovit Mechtildis de Gelria comitissae, quondam Clivensis, a nonnullis Gelriae principátus proceribus et civitatibus in dominam accitae, quemadmodum sparsius[866]) ponitur[867]) infra. Bellavit insuper fortissime Engelbertus comes cum Adolpho comite Clivensi germano contra Frcdericum[868]) de Zarwerden Coloniensem archiepiscopum, sicut et temporibus Adolphi comitis Clivensis fusius elucidabitur. Denique existente eo tempore Engelberto Marchiae comite marscalco Westphaliae, militares et subditi Godefridi comitis de Arnsberch,[869]) mercatores exterarum nationum in terris suis despoliabant et desuper requisitus justitiam facere renuebant; quapropter Engelbertus marscalcus ope fratrum suorum comitum de Clivis et Dinslacken, Godefridum bello petens, oppida illius Arnsberch et Neyhem occupavit, pro quorum redemptione, pacisque donatione, dominium[870]) de Vredenborch Engelberto contulit. Hic denique Godefridus de Arnsberch comes, cum ex Anna[871]) de Clivis conjuge, nullas excitasset proles, recordatus quanta ecclesiae Coloniensi damna quondam intulisset, comitatum suum integrum ecclesiae Coloniensi resignavit anno 1368.[872]) Depost a. D. 1386[873]) Engelbertus Marchiae comes subsidiarias transmisit copias militum, Simoni comiti de Lippia contra Nicolaum comitem de Teckeneborch et Henricum ducem Brunsvicensem gravia admodum praelia decertanti, qui simul congressione facta, caedeque edita cruenta, cecidit et captus

---

866) prorsus, H. — 867) dicetur, B. 1. — 868) Theodoricum, H. — 869) de Arnsberch fehlt in H. und D. — 870) Ducatum, H. ducem, D. — Die Berliner Handschrift Nr. 155, fol. 81 v. (S. 118) erzählt die Thatsache mit folgenden Worten: His quoque diebus Engelberto existente marscalco Westphalie, cum militares comitis de Arnsberch terrarum negociatores in stratis suis spoliarent, vt requisitus justitiam exibuit. Engelbertus comes cum episcopo Paderbornensi Spigel oppida ejus Nyhem et Arnsborch in deditionem sumpsit, pro quarum redemptione castrum et dominium Vredenborch Engelberto perpetue concessit. — 871) Alle vier Handschriften haben: Mechtilde, jedoch ist in B. 1. Anna, welches der richtige Name, überschrieben. Vgl. Note 663. — 872) 1386, D. 1369, B. 1. und 2. 1368 ist die richtige Jahrzahl, Seiberts Urk. Buch II, Nr. 793. — 873) Depost a. 1386 fehlt in H. und D.

fuit Simon de Lippia cum militaribus comitis Engelberti, pro quorum redemptione exposuit 60,000[874]) florenorum accepta a Simone medietate[875]) Lippiae civitatis. Inde copiis circumquaque redintegratis oppidum Roede, comitis de Teckeneborch armis intercipiens, Simonem ibi captum liberavit. Quare adhuc octo florenorum millia Engelbertus a Simone comite liberato, super Lippiam civitatem proscripta percepit, sicque civitatis Lippiae dominium ex integro adeptus fuit. Cumque Engelbertus justitiae esset cultor et amator, ope germanorum ejus, Adolphi Clivensis et Theodorici Dinslackensis comitum, nonnulla praedonum et sicariorum castra evertit et malefactorum habitacula scil. Odingen, Ercklens, Zensen, Ruhenbroch,[876]) Daurenborch, Brockhausen, Loyn, Wildenstein, Stromberch et Ludinchusen quod tamen integrum conservans, militibus opplevit.[877]) Tandem post varia rerum optime gestarum trophaea, diem clausit extremum a. D. 1392 in Vrendenborch sepultus. Cui successit Theodoricus Adolphi comitis Clivensis secundogenitus.

Gerhardus Wilhelmi ducis Juliae primi filius secundogenitus, desponsata sibi Margaretha, clarissimi comitis Montensis Adolphi filia unica et herede, comes fit Montensis a. 1348; ex qua genuit Wilhelmum successorem et Margaretham comitissam Clivensem. Is auxiliares adduxit copias Wilhelmo Juliae duci et ex fratre nepoti,[878]) adversus Wenceslaum Brabantiae ducem decertanti, quem in bello in Baeswiler[879]) conserto cepit dux Wilhelmus, cumque Gerhardus comes Montensis partem praedae et captivorum, sibi a Wilhelmo nepote promissam excipere non posset, quia prius cum ceteris e campo fugerat, ideo Wilhelmo bellum indixit, damnaque invicem commiserunt varia, donec amicorum moderatione paciscerentur. Iste etiam Gerhardus cum Wilhelmo fratre, dolose intercepit genitorem ejus[880]) Wilhelmum Juliae ducem primum atque in vincula

---

874) 6000, H. — 875) media parte, B. 2. — 876) Zensenruhenbroch, D. Zusenkenbroick, B. 1. Jeserikenborch, B. 2. — 877) explevit, H. und D. — 878) et fratri nepoti, H. und D. — 879) Bossweiler, H. und D. — 880) suum, B. 2.

conjecit. Verum principum vicinorum patris amicorum[881]) minis et molestationibus coerciti et exterriti, ocius ipsum liberum dimiserunt, pace inter illum et patrem confecta, quare juste dei judicio perurgente, malo perilt fine.[882]) Nam cum Arnoldo comite de Blanckenheim lethali hoste duellans, exitialique odio congrediens, hasta confossus interiit, alterumque iterum transfixit, a morte temporali ad aeternam commigrantes. Accidit apud Sleidam[883]) a. D. 1371. Is quoque Gerhardus comes Montensis a filio ejus Wilhelmo duce Montensi primo captus fuisse dicitur, sed mox liberatus, quemadmodum de omnibus his dicetur latius in sequentibus, dictaque sunt paulisper in praecedentibus.[884])

Adolphus ejus nominis primus comes Cliviae 29.[885])

Adolphus de Marca in jure utroque licentiatus et Monasteriensis episcopus electus et confirmatus, Coloniensis decretus est archiepiscopus a D. 1362.[886]) Erat quippe electus a capitulo Joannes de Virnenborch decanus Coloniensis, verum cassata fuit ejus electio, per Urbanum papam V, qui Joanni Monasteriensem designavit ecclesiam et Adolpho de Marca sibi admodum dilecto Coloniensem providit ecclesiam; quam cum annis duobus administrasset, resignavit eam, papa Urbano assentiente et capitulo, Engelberto de Marca Leodiensi episcopo suo patruo, factus comes Clivensis 29us. Nempe anno 1368 defuncto Joanne comite Clivensi absque prolibus et cum armis galeaque sepulto, grandis oriebatur disceptatio inter nonnullos proceres, super comitatus illius hereditate, velut eo in loco perstrinximus. Porro Adolphus iste de Marca laicatum anhelans, a civitatibus et proceribus terrae Clivensis in comitem assumptus fuit, quia et ipse Joannis defuncti comitis erat heres, qui Theodorico de Perwiss pro juris et hereditatis suae resignatione non modicam auri vim concessit, Ottoni vero de Arckel altero

---

881) amicorum fehlt in B. 1. patris amicorum fehlt in H. u. D. — 882) Fine fehlt in D. — 883) apud Sleidam fehlt in H. und D. — 884) dictaque u. ſ. w. fehlt in H. und D. — 885) Die Ueberſchrift fehlt in B. 1. H. und D. — 886) 1322, H.

heredi pro sui juris[887]) resignatione, eam fecit gratiam, quod Joanni de Arkell Trajectensi episcopo, ejus germano, Leodiensem procuraret ecclesiam, quam sibi Engelbertus de Marca, jam ad Coloniensem translatus episcopatum, apostolico consentiente, resignavit. Is Adolphus Coloniensem diœcesin a Joanne de Virnenburch electo, satis exhaustam peramplius attenuavit, secundum chronicam Coloniensem, quod tamen nos Clivenses constanti abnuimus pectore et inficiamur etc.[888])

Engelbertus de Marca Coloniensis archipraesul effectus ao. 1354,[889]) sedit annis 4, vir scientia et moribus praeclarus et venerando jam senio praegravatus, satagit quippe[890]) omnibus modis atque mediis sponsam ejus ecclesiam et diœcesin laceratam, partialitatibus et pecuniis exhaustam[891]) a praedecessoribus, ad pristinam reducere concordiam et libertatem iterumque ditare. Sed non potuit propter senectutem, multorumque nobilium, castra et bona ecclesiae occupantium, aemulationes; quapropter de voluntate et consilio sui capituli, Cononem de Valckenstein Trevirensem archiepiscopum assumpsit coadjutorem. Moritur autem 4to sui praesulatus anno, in Coloniensi ecclesia ante sacrarium[892]) ingenti honore sepultus.

Ea tempestate locustarum galeatarum congeries potissima in Rheni provincias erumpens et undique se diffundens, universa ferme terrae nascentia, tam frugum quam arborum, corrodendo devastavit, tantaque fuit annonae caritas[893]) et fames, ut modius siliginis Coloniae novem marcis venderetur, multaque hominum turba, et penuria et fame validissima defecerit a. 1368.[894]) Cui caristiae[895]) mox pestilentia atrocissima subsequitur, per universas Europae regiones paulatim carpens et discurrens, innumeram hominum[896])

---

[887]) non modicum — sui juris fehlt in H. und D. — [888]) Vergl. Jacobus de Susato, Quellen I, 204, und die alte Cölner Chronik, gedruckt bei Koelhoff 1499. Bl. 266 v. — [889]) 1344, B. 2. Beide Zahlen sind unrichtig. Adolf resignirte das Erzbisthum 18. März 1364, Engelbert starb 25. August 1368. S. B. I, S 205 und 206. — [890]) confectus, satagens fuit, D. — [891]) laceratam et penuriis exhaustam, D. — [892]) Sacramentum, H. — [893]) fuit caristia, B. 2. — [894]) 1348, B. 2. — [895]) caritati, H. civilati, D. — [896]) hostium, B. 2.

stragem edidit, usque adeo enormiter, quod vix tertia pars hominum superviveret, nec vivi mortuos sepelire potuerunt. Tunc in Trajecto inferiori undecim millia hominum perierunt; quae quidem saevissima pestis, Deo permittente, a Judaeis orta fuisse compertum fuit,[897]) puteos et cisternas aquarum, in Christianorum exterminium[898]) inficientibus. Quare undique sunt Judaei proscripti atque bonis spoliati[899]) et trucidati. Tunc Judaei Coloniae habitantes, sese reos agnoscentes, ne Christianorum praeda fierent, se ipsos cum domibus ac rebus quibuscunque incendio tradiderunt a. 1370. Denique istis plagis et tribulationibus exterriti homines, ad poenitentiae vexillum convolantes, sectam flagellatorum adinvenerunt. Maxima etenim poenitentium multitudo concurrens[900]) ad femora usque se denudantes et virgis nodosis cordulis atque vepribus semetipsos verberantes ac dilacerantes, clamabant: qui vult pestem et mala hujus saeculi evitare, animamque suam salvam facere, nostram amplectatur disciplinam, injurias remittat et injusta bona restituat. Verum, quia ex bonis frequenter solent mala expullulare, diabolo id procurante, multi ex istis flagellatoribus a pietate ad luxum,[901]) vilia et haereses prolabentes, a papa et principibus prohibiti et dispersi erant, cessavitque secta eorum, quae per totam ferme Europam sese extenderat, multosque homines ad veram pertraxerat poenitentiam. Eadem quoque tempestate, terrae motus maximi in Germania superiori et Italia increbuerunt, evertentes et concutientes[902]) civitates, castra, turres, muros atque domos, innumerosque homines illorum ruina suffocantes. Villach quippe Ungariae urbs potissima solotenus cecidit; in Carinthia sex et triginta sunt oversa oppida et castra; similiter et in Italia quamplures corruerunt civitates et castra, infinitos quasi homines opprimentes. Ex quo quidem terrae motu, signisque coelestibus, crebro apparentibus, exterriti homines circa Basileam et Argentinam commorantes, dimissis villis et civitatibus vacuis, ad loca

---

897) fuisse creditur, B. 2. — 898) in christianorum terminis, B. 2. — 899) exuti, B. 2. — 900) concurrens, fehlt in H. — 901) lupum, H. — 902) corruentes, D.

39) Sie heißt bei F. Margaretha v. Manderscheidt-Blankenheim und reg. vom 26. Apr. 1588—2. Apr. 1598. — 40) Marg. v. Manderscheidt-Gerolstein reg. von 1598—1604. F. — 41) Regierte von 1605—22. Jan. 1614. F. — 42) Die Gräfin Spauer reg. vom 11. Febr. 1614—14. Dez. 1644. Sie zog die Kapuziner nach Essen, denen sie 1620 das Schwesterkloster zu Kettwig überwies. Bei F. werden noch folgende Abtissinnen genannt: Anna Eleonora v. Stauffen postulirt 24. Januar 1645 † schon am 24. April; Anna Salome Gräfin v. Salm-Reifferscheidt reg. vom 5. Juni 1645—15. Octob. 1688; Anna Salome von Manderscheidt-Blankenheim reg. vom 9. Novbr. 1688—15. Märtz 1691. S. 74; Bernhardine Sophia Gräfin zu Ostfriesland und Rietberg reg. vom 5. Apr. 1691—14. Aug. 1726; Franzisca Christina Pfalzgräfin bei Rhein, Schwester des Churfürsten Karl Theodor, vom 15. Oct. 1726—16. Juli 1776. Seit 1756 war Charlotte Herzogin von Lothringen ihre Coadjutorin † 21. Febr. 1775. Die letzte Abtissin war Maria Cunigunde Prinzessin von Polen und Litthauen, † 8. April 1826 zu Wien, nachdem das Stift 3. Aug. 1803 an Preußen gekommen war. — 43) Dieses und die folgenden Werke scheint Hiltrop als die Quellen zu bezeichnen, woraus er seinen Catalogus geschöpft hat.

jensis. — Cyriaci Spangenbergii Saxonia. — Annales Tremoniensium.

Hæc propria manus est Wirici Hiltorpii decani collegiatæ ecclesiæ Assindensis ex cujus donatione possideo

Cornelius Mewe.

XII.

Urkunden-Nachleſe.

(Fortſetzung v. B. I. S. 473.)

7.

1074 October 3. Schenkt Erzbiſchof Anno II. bei der Translation der Gebeine der h. h. Ewalde, dem st. Cuniberts Stifte zu Cöln Geldrenten zu Geveren und Soeſt.

Nach der Abſchr. in der Farrago Gelenii VII. fol. 263.[1])

In nomine sanctæ et indiuiduæ Trinitatis. Anno secundus Coloniensis archiepiscopus, omnibus Christi fidelibus, tam futuris quam præsentibus. Quoniam vitæ hujus spatium breue probatur esse et inualidum, eo quod humana ætas et nascendi lex, licet annorum numerositas prolongare videatur, semper tendat ad occasum, salutare est omnibus et totis viribus inquirendum, illuc mente et opere aliquid boni sibi præmittere, vbi si læta sint, finem nesciant et si tristia dolor interminus, qualemcunque tamen miserationem admittat. Hac de causa, prò peccatis meis ego sollicitus et futuri districtionem judicii pertimescens, decreui sanctos Dei honorando et seruientes eis subleuando, precatores pro me efficere in judicio, qui de meritis propriis justificari non valeo. Gloriosos itaque martyres Dei, Ewaldos in neglectis, propter ignorantiam præcedentium, loculis positos, ego pec-

---

[1]) Vergl. die Urk. von 1074 in Seiberts Urk. Buch I. N. 31.

cator et seruus seruorum Dei, Anno secundus Coloniensis archiepiscopus, licet indignus, transtuli, vt qui jam recepti sunt in cœlesti speculatione, apud nos aliquo digni haberentur honore, quatenus omnipotentis Dei, pro quo passi sunt, misericordiam tanto studiosius pro nobis expostulent in cœlis, quanto magis apud nos pro modulo nostro glorificentur et honorentur in terris. In horum igitur translatione, fratribus in eodem monasterio militantibus, sancto Clementi martyri et sancto Cuniberto confessori, eisdemque martyribus Ewaldis, ad suppletionem quotidianæ consolationis, dedi decimationem noualium in Heimordesheim et Strazfeldon, XXX modios tritici in Masencel de redditibus siluarum, libram denariorum in Geueron, quinque libras Sosatiensis monetæ de areolis vel curticulis ejusdem villæ. Actum est autem hoc coram testibus subnotatis Ezelino præposito, Berengario decano. Euerhardo. Ruotberto. Bertolfo. Regenboldo. coram laicis quoque Francone vrbis præfecto. Herimanno comite. Gerardo comite. Et vt verius credatur, firmiusque in posterum teneatur, hanc in testimonium chartam conscribi feci et in eodem monasterio in memoriale futurum reponi. Translatio vero prædicta facta est anno dominicæ incarnationis M°. LXXIIII°. Indictione XI. V. Nonas Octobris. Si quis ergo tantillum supplementi, quod fratribus prædictis impendimus abstulerit, perpetuum anathema in conspectu Dei omnipotentis incurrat et in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus, tristis a Dei conspectu discedat. Amen.

8.

1177 bekundet der Biſchof (Hermann II. Graf v. Cattenelnbogen) zu Münſter, wie die Succeſſion in dem Burggrafthum Stromberg auf die Familie Rüdenberg übergegangen.

Nach der Farr. Gelenii III. fol. 249.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Quoniam que in negotiis secularibus rerum temporalium ordinatione memorie hominum elabi et in obliuionem recedere nonnunquam contingit, dignum duximus vt quecunque de rebus ecclesie nostre bene et rationabiliter disponeremus, vniuerse poste-

ritatis cognitioni scriptis commendaremus. Vnde vt hujus facti nostri veritas et plena cognitio inposterum memoria viua semper et manifesta permaneat, rem a nobis gestam prout gesta est vniuerse futuri seculi generationi notificari. Vidua quedam nobilis Gisla nomine, filium habebat nobilem Godefridum nomine, qui castrum ecclesie nostre Stromberch tenuit et ab ecclesia cum matre feudum tenuit honestum. Quo defuncto mater superuixit et eadem Gisla filiam habuit dictam nomine suo Gislam, que plures habebat filios et vt duo filii filie, filio suo Godefrido defuncto succederent in beneficio jure beneficiali et castro seruando, curiam que propter vicinitatem castri dicitur Burchoff cum omnibus vtilitatibus suis, exceptis mansis et mancipiis vel aliis inde inbeneficiatis, quam in feudo ab ecclesia tenebat vt esset beneficium castrense resignauit et collaudante filio suo Thitmaro, clerico, Mindensis ecclesie majori preposito et Godescalco de Ibbenburen mundiburdo suo, quedam predia vnam videlicet domum in Schetbruke cum omnibus suis appenditiis que fuerunt beneficium Egberti et aliam domum in Sporke cum omnibus suis appenditiis, que fuit beneficium Arnoldi de Bosensule in proprietatem ecclesie contradidit et ecclesie centum et quinquaginta marcas exsoluit ea videlicet conditione, vt hec eadem predia cum reliquo beneficio suo et filii cum suis predictis nepotibus Hermanno et Henrico in beneficium reciperet et predictam curiam que dicitur Burchoff cum castri tuitione in beneficio castrensi acciperet, ea tamen determinatione, vt nepotes et filii filiorum, qui de jure beneficiali deberent succedere, nec a tuitione castri amouerentur nisi de reliquo beneficio de sententia remouerentur et predicta Gisla, quamdiu viueret, omne beneficium quiete possideret. Ea vero defuncta vel spontanee beneficium nepotibus resignante, qui in munitionem castri subintrant, episcopo Monasteriensis ecclesie libere seruiret vt in vulgari dici solet . . . . . si vero idem sine herede beneficiorum moreretur, frater in beneficium omne, castrumque tuendum eodem jure succederet. Pater vero eorundem puerorum Hermanni et Henrici, Conradus,

si predicta Gisla moreretur, beneficii patrocinium castrique tuitionem, vsque ad maturos annos puerorum susciperet. Si vero et idem Conradus moreretur, Tithmarus predictorum puerorum auunculus, eorundem beneficiorum et castri tuitionem susciperet, episcopum vero de castri obseruatione securum . . . . . Hujus rei testes sunt clerici Bernhardus major prepositus. Franco vicedominus. Bernhardus de Ibbenburen. Godefridus de Patherborne. Hermannus de Herbethen. Theodoricus de Engre. Magister Sifridus. Thitmarus . . . . . Herimannus de Lage, Euero scriptor et alii quamplures. Laici, nobiles: Rodolfus de Stenuorde, Wedekindus de Rethe. Wernerus de borclo. Godefridus . . . . Bernhardus . . . . Ezo de Slon. Ministeriales: Ernestus, Lubbertus, ... Ludewicus . . . . . Wolfhardus. Gerwinus. Bertramus brunstein. Suetherus de . . . . . Thitmarus pincerna et alii quamplures. Hec autem vt inposterum rata et . . . . . maneant, presenti scripti attestatione et sigilli nostri impressione roborauimus. Acta sunt anno dominice incarnationis M°. C°. LXXVII°. Indictione decima, regnante Frederico glorioso Romanorum imperatore.

9.

1200. Jan. 30. belehnt Conrad Graf von Arnsberg den Ritter Hunold von Oedingen mit den Gütern zu Stadermode, die ihm durch den Tod Lünemanns v. Werl heimgefallen waren.

Nach der Abschr. in der Farrago Gelenii VII. fol. 32.

Nos Conradus comes de Arnsbergh[2]) literis presentibus protestamur vniuersis, quod bona de Slarmode que Lunemannus de Werle bone memorie de manu nostra tenuit in feodo, ad manus nostras libere sunt reuersa et ea Hunoldo militi de Odingen castellano nostro et Vdoni filio ipsius, justo feodo duximus porrigenda, de quibus eisdem justam et publicam facimus warandiam. In

---

[2]) Dieser Graf Conrad, von dem wir so wenige Urkunden haben, ist der Sohn Graf Heinrichs II. Durch den Erbvergleich von 1237 erhielt er die Grafschaft Rietberg als abgetheiltes Stammgut für sich. Seibertz Gesch. der westfäl. Grafen S. 165 fgg.

cujus rei testimonium presentia conscribi fecimus, sigilli nostri munimine roborata. Datum ao. dni. M°. CC°. feria sexta post conuersionem sancti Pauli.

10.

1203. April 15. bekundet die Abtiſſin Jutta zu Meſchede und Oedingen, daß die Kirche zu Oedingen einen Hof zu Büdinghauſen dem Grafen Gottfried von Arnsberg gegen 2 Höfe zu Wetmarſen und einen in Oysberg vertauſcht habe.

Nach der Abſchr. in der Farrago Gelenii VII. fol. 15v.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Jutta dei gratia Meschedensis et Odyngensis humilis abbatissa, vniuersis fidelibus in perpetuum. Notum facimus vniuersis fidelibus, tam presentibus quam imposterum futuris, quod ecclesia in Odynge prefinito consilio et vnanimi consensu, aduocato suo Vlrico cooperante, mansum quendam qui dicitur Dudinchusen cum omni vtilitate attinente Godefrido comiti de Arnsbergh contradidit, pro cujus itaque recompensatione jam dictus comes duos mansos predii sui, vnum in Wetmerslede soluentem annuatim quatuor maldra auene et quatuor pullos, alterum in Oysberg soluentem tria maldra et quatuor pullos memorate ecclesie tradidit. Ne autem tam rationabile factum aut obliuio aboleat aut hominum malitia infringat, presenti scripto et autoritatis nostre sigillo confirmamus. Hujus rei testes sunt sacerdotes Henricus decanus, Henricus de Elsepe, Henricus de Odynge, Bernardus, Thegenhardus. Laici vero Alexander, Gihlielmus, Iffridus. Actum est anno dominice incarnationis M°. CC°. III°. decimo quinto Kalendas Maji. Regnante Ottone, Adolpho archiepiscopo Coloniensi.

11.

1208. Jan. 21. überträgt Rutger von der Horst das Eigen der Güter zu Sigengisge (Siegen-Geseke?) welche Erenfried Quaterland von ihm zu Lehn trug, dem Grafen Ludwig v. Arnsberg für das Eigen der Curie zu Lippeholthausen bei Lünen, die er früher bei Hamm vom Grafen zu Lehn empfangen und wovon er dessen getreuer Mann bleiben will.

Nach der Abschr. in der Farrago Gelenii VII. fol. 31.

Nos Rutgerus von der Horst literis presentibus protestamur vniuersis presentium inspectoribus, quod proprietatem nostram bonorum apud Sigengisge sitorum, que bona Erenfridus dictus Quaterlant de manu nostra tenuit et tenet sicut homo noster, de voluntate filiorum nostrorum Hermanni et Theodorici ac aliorum heredum nostrorum, damus nobili viro Ludewico comiti de Arnsbergh et suis heredibus in his scriptis et tradimus perpetue possidendam. Recipientes pro eadem proprietate, proprietatem curie Lippehoilthusen site prope Lunen cum omnibus attinentiis suis sicut sita est, per nos et heredes nostros similiter perpetuo possidendam Que videlicet bona nos apud Hammonem suscepimus de manu domini comitis in hospitio peregrini monetarii et eadem bona nos et heredes nostri tenebimus de manu dni. comitis et suorum heredum, sicut homines fideles perpetue possidenda, quod sigilli nostri munimine duximus roborandum. Datum et actum anno dni. M°. CC°. Octauo. feria tertia proxima ante purificationem beate virginis. Presentes fuerunt Godefridus nobilis vir de Rudenberge, Henricus aduocatus de Elsepe, Lubbertus de Wittinhoue milites, item Adolphus de Broichusen, Theodericus de Arrlardeslan(?) Henricus notarius noster et alii quamplures viri fide digni.

12.

1227. Aug. 13. beauftragt Pabſt Gregor IX. den Probſt, Dechant und Theſaurar der Stiftskirche zu Paderborn, die Statuten unter denen weiland Erzbiſchof Philipp die alte Pfarre zu Soeſt in ſechs Pfarreien aufgelöſet hatte, in Vollzug zu ſetzen.

Nach der Abſchr. in Kindlingers Urk. Samml. B. 71. [2])

Gregorius Eps. servus servorum dei . . dilectis filiis preposito Decano et Thesaurario paderburnens. salutem et apostolicam benedictionem. Ea que pro Ecclesiarum utilitatibus provide statuuntur, firma debent et illibata persistere; et ne cuiquam presumptione temeraria violentur, apostolico sunt munimine roboranda. Ex parte siquidem dilectorum filiorum, Decani et capituli susatiensis fuit propositum coram nobis, quod cum olim in opido Susatensi tantum una Ecclesia parochialis existeret et usque adeo faciente Duo., populus auctus esset in eo, quod ab uno pastore sine animarum periculo regi non posset, bone memorie P. Coloniensis Archiepiscopus loci diœcesanus, cum capituli sui et Decani et capituli predictorum assensu preter illam quinque parochiales Ecclesias fieri fecit in opido supradicto et populum juxta numerum ecclesiarum divisit, ipsos certis terminis distinguendo, quibusdam statutis super reverentia conventuali Ecclie ab aliis impendenda de predictorum consilio salubriter ordinatis, que dicti Decanus et capitulum auctoritate petierunt apostolica confirmari. Ideoque discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus eadem statuta sicut provide secundum Deum noveritis ordinata, faciatis auctoritate nostra, sicut justum fuerit, inviolabiliter observari, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum nichilominus exequantur presentibus post triennium minime valituris . . Datum Anagnie idus Augusti, pontificatus nostri anno primo.

[2]) Vergl. d. Urkunde Erzbiſch. Philipps in Seibertz Urk. B. I, Nr. 97.

13.

1229. März 14. berichten der Probst, Dechant und Domküster zu Paderborn über den Vollzug des Auftrages vom Pabst Gregor IX. von 1227 über die Einrichtung der sechs Pfarreien in Soest.

Nach der Abschr. in Kindlingers Urk. Samml. B. 71.

In nomine S. et i. T. Volradus dei gratia prepositus, Amelungus Decanus, Conradus Custos majoris Ecclie paderburnensis, confirmatores a Dno. Papa constituti. Vniuersis Xpi. fidelibus in perpetuum utriusque vite salutem. Tale recepimus mandatum. Gregorius etc. anno primo. Nos igitur instrumentis et confessione Thome prepositi veteris Ecclie, Radolfi sti Pauli, Radolfi sti Georgii, Jacobi sti Thome, Adolfi ste Marie alte, Gerardi ste Marie in Palude plebanorum susatiensium sufficienter instructi secundum ordinationem bone memorie Dni. Philippi prefati tunc Colon. Archiepi, loci diocesani de consensu Decani et Capituli et plebanorum predictorum statuta super reuerentia conuentuali Ecclie beati Patrocli ab aliis eccliis impendenda de predictorum consilio et assensu salubriter ordinata, que talia sunt, quod in conuentuali Ecclia bti. Patrocli licite baptizari possint baptizandi, infirmi communicari inungi, defuncti sepeliri petentes et quod nullus plebanorum contrudicere debeat et possit etc. — Hier werden die Statuta wie in der Urk. Erzbisch. Philipps. Urk. B. I. Nr. 97 wiewohl etwas ausgedehnter aufgezählt. — Item patronatus eccliarum parochialium pertinebit preposito Susatiensi, donum vero altaris majori preposito et archidiacono Colon. singulis ecclesiis contentis distinctionibus sibi determinatis auctoritate apostolica confirmamus, sicut provide secundum Deum eadem statuta nouimus ordinata et precipimus auctoritate apostolica inuiolabiliter obseruari, contradictores, si qui deinceps fuerint, vel hujus nostre confirmationis occulti vel manifesti transgressores omnibus denunciantes excommunicatos. Ne quis igitur in posterum hanc nostre confirmationis paginam infringere vel ei ausu temerario presumpserit obuiare, nos ad perpetuum robur ipsam sigillorum nostrorum ac predictorum plebanorum impressione communimus. Actum anno gre. M°. CC°. XXIX°,

indictione secunda pridie idus martii feria quarta, presentibus in capitolio nostro Tiderico pposito. de Scheide, Volquino pposito. s. s. Petri et Andree, Thetmaro Scolastico, Hermanno Boliken, Volberto cellerario, Hagone de Hildeneshem., Ludolfo de Osdaxen, Volrado cantore, Widekindo camerario, Brunone de Borien, Conrado forensis Ecclie plebano, Henrico pposito in Schillece, Hermanno de Ervete, Rabedone de Brakele, Gerungo de Susato, Euerhardo de Heryorde, Joe. de Schillece, Ludolfo de Schonenberge, Johe. de Elsen Canonic. paderburn. Mgro. Hartrado Canonico et procuratore Susatien. Ecclie, Ruberto et Sifrido civibus Susatiensibus. feliciter amen.

14.

1216. April 26. ernennt Papſt Innozenz III. Commiſſarien zur Unterſuchung und Abſtellung von Beſchwerden, welche Graf Gottfried II. von Arnsberg gegen einzelne Ritter erhoben hatte, die ihn durch gewaltſame Vorenthaltung von Gütern und Sachen, an der Antretung des gelobten Kreuzzuges hinderten.

Nach der Abſchr. in der Farrago Gelenii III, fol. 246v.

Innocentius episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filiis, decanis custodi et Th. canonico Sosatiensi Coloniensis diœcesis salutem et apostolicam benedictionem. Querelam nobilis viri G. comitis de Arnsbergh cruce signati recepimus, continentem quod H. miles Coloniensis et quidam alii Coloniensis diœcesis, quasdam possessiones et res alias ipsius violenter detinent et ei reddere contradicunt, quare voti sui executio impeditur. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus partibus conuocatis auditis, causam, et appellatione remota, fine debita terminetis, facientes quod statueritis per censuram ecclesiasticam firmiter obseruari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel amore subtraxerint, per censuram eandem, appellatione remota, cogatis veritatis testimonium perhibere. Quodsi non omnes his exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Laterani VII Kal. Martij. pontificatus nostri anno nonodecimo.

15.

1217. Juli 3. bekundet Graf Gottfried II. von Arnsberg, unter welchen Bedingungen ein Bündniß zwiſchen ihm und den Brüdern Eberhard und Jonathan von Arbei zu Stande gekommen und wie er dieſelben mit ſeinem Antheil der Burg Rüdenberg belehnt habe.

Nach einer Abſchrift in der Farrago Gelenii T. III. fol. 252.

G. (odefridus) Dei gratia comes de Arnesberg vniuersis Christi fidelibus tam presentibus quam succedentibus, salutem in eo qui dat salutem regibus. Sub hac forma nobiles viri Euerhardus de Arthei et frater suus Jonathas nobiscum in fœdus amicitie conuenerunt, vt partem nostram castri Rudhenberg a nobis in pheodo tenerent et eam partem nobis aperiendo contra quemlibet, preter dominum episcopum Coloniensem, nobis deseruirent. Insuper auxilium suum aduersum quemlibet nos indebite molestantem, vbi saluo honore suo possent exhibere, nobis impenderent. Idem ijs e conuerso spopondimus et tactis vtrinque sanctorum reliquiis juramento confirmauimus. Si vero contingeret inter dnum. episcopum et ecclesiam Coloniensem et nos discordiam excitari, ipsi subtracto partibus subsidio, aut amicabiliter in pace quiescerent aut si hoc non presumerent, castrum nostrum nobis integraliter resignarent et post compositionem inter episcopum et nos restauratam illud reciperent. Igitur ad corroborationem hujus fœderis, eisdem fratribus redditus decem marcarum, ab inpheodatis nostris nobis resignatos, in pheodo porreximus, ita vt eosdem redditus nobis resignantibus conferrent. In recompensationem autem facti nostri, predicti fratres redditus XX et quinque marcarum de bonis suis, videlicet in Geseke et in Marcfelt[3]) cum omnibus eorum attinentiis et quicquid in his deficeret, in aliis supplerent nobis pro quadringentis marcis inpignorauerunt et in pheodo a nobis receperunt, quo ad vsque adhibita eorum petitione et nostra priuata bona episcopo resignarent et nos ab episcopo recepta ipsis porrigeremus. Presertim quoniam hec forma compositionis tum propter

[3]) Es ſcheint urſprünglich Marsfeli geſchrieben und dies in Marcfelt geändert zu ſein.

dnum. Jonatham, tum ab Arnoldo pincerna et filiis ipsius fuit neglecta, eam de nouo restaurantes fide premissa tactis vtrimque reliquiis sanctorum jurauimus fide bona, pura conscientia nos deinceps obseruaturos. Ob hoc itaque dno Jonathe redditus X marcarum in curiis nostris in festo Andree persoluendos assignauimus, hac conditione, vt si nos aut vxor nostra vel pueri eosdem X marcarum redditus postmodum bonis aliis possimus recompensare, curie nostre maneant absolute. Ipse vero de redditibus prenominatis Arnoldo pincerne et Theoderico Stokelet cum eorum heredibus VII marcas annuatim in pheodo porrexit fidejussores. Verum si nos quocunque casu contingente hujus forme violatores extiterimus, fidejussores sui nostri. Fidejussores hujus sunt ex parte nostri Hermannus de Ruthenbergh, Henricus niger de Arnesberg, Conradus de Hagnen, Boymundus de Eruete, Lutbertus Platere, Hermannus de Elsepe, Thetericus Fagelin, Pilegrinus de Balleue, Heinricus pincerna, Hermannus de Bersic, Hermannus de Holthusen, Reinfridus de Scorlemare. Ex parte dni. Jonathe sunt Hermannus de Ruthenberg, Heinricus niger de Arnesberg, Conradus de Hagnen, Bernhardus de Wiglon, Conradus de Wagenberg, Eustacius, Albertus falco, Gozwinus de Mulsbern, Rutgerus Post, Ecbertus de Neihem, Thidericus de Bilemke, Wilrauenus de Bruke. Quemcunque autem horum mori contigerit, alius infra reuolutionem anni, loco mortui substituetur . . . . . .
et parte altera commoniti et post commonitionem sex hebdomadis transactis Meneden intrabunt, inde non exituri, nisi cum voluntate dni. Jonathe . . . . . .
si infra non resipuerimus. Item si dnus. Jonathas hanc formam violauerit fidejussores sui, premissa commonitione sex hebdomadarum a nobis . . . . . .
nisi infra resipuerit Arnesberg intrabunt, inde nisi cum voluntate nostra nullatenus exituri. Si vero fidejussores transgressoris cum domino fidem suam neglexerint . . .
. . . . . pars altera de promisso et juramento et

fide data receptis bonis suis cum fidejussoribus a tali obligatione manebit absoluta, violans vero prætaxata tenebitur obligatione. Vt autem hec forma fœderis hereditaria successione ad heredes nostros delata, per malitiam aut versutiam alicujus, ab heredibus nostris non possit violari, presentem paginam sigilli nostri roborauimus appensione, ne foedus amicitie tam rationabiliter ordinatum et confirmatum ab ipsis negligenter dissoluatur. Acta sunt hec anno dominice incarnationis M°. CC°. XVII°. V°. Nonas Julii, Arnesberg in domo nostra. Testes hi sunt, Hermannus de Ruthenberg, Henricus niger, Theodericus de Geuore, Rutgerus de Bergbenne, Lutbertus Platere, Thidericus de Odigge et filius suus Johannes, Arnoldus pincerna et filius suus Henricus, Renfridus de Scorlemare, Eustacius, Conradus de Wagenberg, Conradus de Hagnen, Gozwinus de Mulsbern, Arnoldus de Wiglon et filius suus Bernhardus, Theodericus Stokeleth et filius suus Henricus et alii quamplures.

16.

1253. Juni 12. bekundet Philipp, Propſt der Soeſter Kirche, eine Compromiß-Entſcheidung über die Mühle am großen Fiſchteiche zu Soeſt.

Nach dem Orig. in der Urk. Samml. Seibertz zu Wildenberg.

In nomine domini amen. Philippus dei gratia prepositus Ecclesie Susatiensis. omnibus presentem litteram inspecturis salutem in eo qui est omnium salus. Ne ea que rationabiliter fiunt lapsu temporis a memoria hominum elabantur et super litibus sopitis. questiones inposterum maliciose de nouo contingat suborirj. visum est plurimum expedire scripture testimonio eadem commendari. Quapropter nouerint vniuersi tam presentes quam futuri. quod cum Capitulum Ecclesie Susatiensis molandinum piscine majoris in Susato cuius proprietas ad eandem pertinet Ecclesiam. et in quo. fratres iam dicti Capituli redditus duarum marcarum habuerant ab antiquo. rationabiliter emissent a Helenburge vidua quadam Susatiensi. et nos idem molandinum ad ipsius Helenburgis resignationem pre-

dicto Capitulo porrexerimus. quod ipsi pluribus annis quiete possederunt et inconcusse. Cumque postmodum. Godefridus. et Hermannus fratres. filii Hartmodi. militis dicti de Lon. super eodem molandino in quo se dicebant ius habere. Capitulo eidem mouerent questionem. tandem de consilio proborum virorum. nostri. Wenricj canonici maioris Ecclesie in Colonia nobilis uirj. Bertoldi de Bvren. Godefridi de meschede. Hunoldi de Odinge. et Henrici de lon militum. qui super eadem questione sopienda fuimus arbitrj ab utraque parte constituti talis inter eos compositio siue ordinatio intercessit quod scilicet iam dictum Capitulum. prefatis fratribus. Godefrido et Hermanno. dedit. quadraginta marcas. monete Susatiensis. et sic idem fratres. Petronilla mater ipsorum. Petronilla. Siradis. et Elizabeth. eorundem fratrum sorores omnj questioni et omnj iurj si quid haberent. uel quacumque ex causa habere uiderentur contra ipsum Capitulum in eodem molandino siue nomine bonorum ministerialium uel quocumque alio nomine censerentur pro se. ac pro omnibus eorum posteris in manus nostras precise et absolute renuntiauerunt. Ad cuius arbitrij obseruantiam partes hinc inde se sub pena Centum marcarum astrinxerunt. Vt autem huiusmodj renuntiatio rata permaneat et inconcussa et omni de cetero caueatur questioni presentem paginam super eo conscriptam. Sigillis. nostro. Wenrici. Canonici maioris Ecclesie in Colonia. Adolfi de Holte. Bertoldi de Bvren. nobilium. Gotfridi de meschede et Hunoldi de Odingen. militum. fecimus communirj. Ad maiorem etiam huius facti firmitatem Sigillum domini nostri venerabilis patris Conradi archiepiscopi Coloniensis presenti scripto impetrauimus appendj. Presentes fuerunt. Wenricus. Canonicus maioris Ecclesie in Colonia. Henricus Decanus. Theodericus Thesaurarius. Rutgerus. scolasticus. Henricus Cantor. Hoyo. Arnoldus magister. Gerlacus. Hildegerus. Robertus. Sifridus. Henricus. et Henricns Canonici Susatienses. Hermannus scriptor marscalcj. Regenhardus monachus de lesberne. Adolfus de Holte. et Bertoldus de Bvren nobiles. Thiemo de Susato. Achilles de Lippa. Arnoldus de prouestinchoue. Arnoldus de Hondorp. Lambertus de Schedinge.

Horadus de Brinken. Arnoldus de Silbeke. Arnoldus Balke. Rolandus de vrekenhorst. Bernhardus de Bodrike. Thidericus Flakrian. Lvdolfus gast. Henricus de line. Helmicus de Dinchere. Hunoldus de Odinge. Conradus albus. Wetcelus de Eruete. Helmicus rump. Brunstenus. Hermannus Colue. Hermannus Flakrian. Walramus de Endike milites. Henricus de milinchusen. Thidericus de Scorlemare. Henricus de Ekeneberne. Sigenandus de Allagen. Boyemundus de prouestinchoue. Menricus Judex. de Ruden. et Thiecelo de Rvden. Conradus de Ense. Thiemo filius Thiemonis. de Susato. Hermannus de Hukelhem. famulj. Radolfus Fernerus. et alij quam plures de Susato. Actum apud Bosinchusen. Anno dni. M°. CC°. LIII°. pridie Idus Junij. [4])

17.

1263. März 12. erklären Johann und Gottſchalk von Padberg die Stadt Padberg für frei und geben ihr beſondere ſtatutariſche Rechte.

Nach der Abſchr. in der Farrago Gelenii IX. fol. 69.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis amen. Joannes et Godescalcus domini castri in Padberg, omnibus

---

[4]) Die Urkunde iſt auf einer großen Pergamenhaut, in weiten Linien, ſehr ſchön geſchrieben. An derſelben haben ſieben Siegel gehangen, wovon die vier erſten abgefallen ſind. Das des Erzbiſchofs Conrad hieng an grün und roth gemiſchten ſeidenen Strängen. Die noch vorhandenen drei letzten hängen an rothen Seidenſträngen. Sie ſind herzförmig und in weißem Wachſe abgedruckt. Das erſte führt die Umſchrift: Sigillum Berioldi Domini de Byren. Das zweite: S. Godefridi de Meschede. Das dritte: S. Hunoldi Marscalci de Westfalia. Im Schilde ſieht man nicht das Wappen der Familie von Oedingen (einen Kranz mit 5 Roſen wie ihn auch die Wreden führen) ſondern zwei in die Höhe gehobene Arme, die ſich die Hände reichen; alſo wahrſcheinlich das Amtsſiegel Hunolds als Marſchall von Weſtfalen, in welcher Eigenſchaft er bisher unbekannt war, weil er wohl nicht lange das Amt bekleidete; denn in demſelben Jahre 1253 kömmt Henricus Scultetus Susaliensis und ſchon im folgenden Albertus de Sturmede als weſtfäliſcher Marſchall vor. Von 1256 bis 1260 war es Hunold von Plettenberg. Das Amt ſcheint damals häufig gewechſelt zu haben. Unter Erzbiſchof Konrad kommen acht verſchiedene Marſchalle vor, denen Hunold von Oedingen als neunter hinzutrit. Konrad war damals viel in Weſtfalen beſchäftigt, ohne welchen Umſtand ſich wohl zu dem in der Urkunde aufgenommenen Acte, außer 16 zum Theile hoch ſtehenden Geiſtlichen, nicht noch 2 Edelherren, 22 Ritter, 10 Knappen und andere Soeſter Bürger eingefunden haben würden. Beuſingſen (Bosinchusen) wo die Urkunde aufgenommen wurde, liegt nahe bei Soeſt, zwiſchen Elſſen und Neuengeſeke.

hanc literam inspecturis salutem in Domino. Quia generatio preterit et generatio aduenit, expedit coram Deo et hominibus cunctis veritatis amatoribus, ea que statuerint vel elegerint, diligenti prius discutere examine, vt nulla postmodum possint titubatione infirmari, deinde scriptis mandare, sicque vt omnis amputetur dubietas, memorie posterorum commendare. Nouerint ergo moderni et futuri, quod nos cum ciuibus opidi nostri, per tempus dissentionem super quibusdam causis habuimus, in quibus in nostra jnrisdictione difficiles nobis fore videbantur. Quod cum fieret, mediantibus honestis viris, talis propositio interuenit, quod nos consilio amicorum nostrorum inducti, vt affectum ciuium nostrorum in nos amplius prouocaremus et vt non solum detrimentum ipsorum non pateremur, verum etiam in augmento ipsorum gauderemus, ipsum opidum liberum constituimus, quatenus libertate quieta inhabitantes ibi perpetuo potirentur, preter quod tam nos quam ipsi consules opidi, vnanimi consensu et voluntate, quedam jura, de quibus inter nos et eos orta fuit discordia et in posterum oriri posset, tali modo discreuimus,[5]) videlicet 1. quod quilibet ciuium de area sua sex denarios et pullum dabit domino castri annuatim, de dimidia area tres denarios, de singulis jugeribus agrorum duos denarios. — 2. Si quis frutecta[6]) aut agros arboribus consitos, laboribus suis et expensis fodiendo, ad terram sementem perduxerit, septem annis sine pensione habebit, quibus expletis pensionem debitam sicut prediximus dabit. — 3. Quicquid statuerint consules vnde questus aliquis poterit prouenire due partes ipsis, tertia cedet domino castri. — 4. cum vinum habetur, quanto precio venumdetur consules inter se ordinabunt. — 5. Judicem tam nos quam consules pari consilio statuemus. — 6. Si quis excesserit in aliquo, ad arbitrium consulum judicabitur, siue in jure siue in gratia component ratum habebimus, sed si ali-

---

[5]) Die Urk. iſt ohne Abſätze und Nummern geſchrieben. Letztere ſind zur beſſeren Vergleichung der Beſtätigung Friedrichs von Padberg von 1290 (Urk. Buch I, Nr. 432) beigefügt. — [6]) In der Beſtät. von 1290 heißt es irrig: frutela.

quid inde deriuatur, ipsi duas partes nos tertiam recipiemus; si vero nihil, nil requiremus. — 7. Si quis nobiscum manere voluerit libere diuertere poterit cum suis rebus quo voluerit.[7]) — 8. Si aliquis pro culpa sua, qua forte mortis judicium meruit, profugus fuerit, vxor sua et pueri totam substantiam ipsius integre et libere obtinebunt, et si morti adjudicatus fuerit, nihilominus heredes sui cuncta bona sua et immobilia sine impedimento possidebunt. — 9. Omnibus aduenientibus hospitibus nulla violentia fiat, sed justo judicio pro excessibus suis conueniantur. — 10. Si aliquis adhuc vigens et valens in corpore, testamentum suum de consilio plebani et heredum ordinare voluerit et lecto decumbens non renuatur talis voluntas. Si vero intestatus et sine herede obierit, in prouidentia consulum erit res illius distribuere pro anima sua, siue ad ecclesiam[8]) opidi, aut pauperibus vel religionis. — 11. Sponsalia que vulgo Bedemunt dicuntur et Vime et Vogedingh et Vrigedingh nullum jus ibi obtinebunt. Ceterum Herwede et Ereue et Gerade non extorquentur ibi[9]) nec dabuntur. — 12. Quilibet pistorum in vigilia natiuitatis Domini dabit nobis annuatim duos denarios de albo pane. Similiter quilibet carnificum dabit tres denariatas de sepo ad castrum in festo beati Martini.[10]) — 13. Si quis emerit ibi domum aliquam, dabit nobis sex denarios. — 14. Circa octauam Michaëlis dabit quilibet pistorum tres denarios et braxatores duos. Ex his due partes cedent consulibus, tertia nobis. — 15. Si quis pistorum, braxatorum et carnificum in venalibus, que quilibet vendere solet culpabilis repertus fuerit, vadimonii jure sex denarios dabit. Ex his duas partes consules percipient, tertia cedet nobis. — 16. Si quis filiam ciuis alicujus corruperit, aut legitime ei copulabitur, vel si renuerit dabit puelle quinque

7) Dieſer Artikel ſcheint in der Abſchrift verſtümmelt. In der Beſtätigung Friedrichs v. Pabb. von 1290 lautet er vollſtändiger: Si quis communionem ciuium resignare voluerit, marcam dabit consulibus; si quis noluerit nobiscum manere libere diuertere u. ſ. w. — 8) Die Worte: ad ecclesiam waren in der vidim. Abſchrift der Beſtätigung von 1290 nicht mehr zu leſen. — 9) Die Worte: non extorquentur ibi, waren in der Beſtät. nicht mehr zu leſen. — 10) In der Beſtät. ſteht: beati Martyris.

marcas, ciuitati plaustrum vini. De hoc consules duas partes percipient et nos vnam. — 17. Si in domo vniùs ciuis ab vxore ipsius vel pueris aliquid subtrahitur, hoc inter se consules judicabunt. — 18. Si quis ciuium in judicio accusatus testibus se expurgare voluerit et testimonio defecerit XII den. vadimonii jure exsoluet. De his vna pars erit nobis, consulibus autem due. — 19. Si extraneus aliquis in furto vel rapina deprehensus fuerit, consulibus nihil cedet. — 20. Si quis in figura judicii positus in aliqua leui causa excesserit, per quam judicem offenderit vel judicii reatum incurrerit ad XII denarios jure vadimonii se obligauit. Quod si judex super his eidem importunus extiterit, datis duobus denariis judici, liber erit.[11]) — 21. Portarum vigiles versus castrum et versus claustrum Breidlaere a nobis sunt in precio procurandi.[12]) — 22. Quicquid antiquitus pertinuit ciuitati in syluis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, agris cultis et incultis, vsibus inhabitantium libere indulgentes, ipsos in omnibus pro posse nostro promouere studebimus cum affectu. — Vt autem predicta ordinatio perpetuam habeat firmitatem, presentem literam primo sigilli mei et fratris mei Godescalci, deinde nobilis viri domini Bertoldi de Büren, consanguinei nostri et dni. mei Hermanni domini castri in Dauerenbergh sigillorum fecimus impressione communiri. Ceterum ego Bertoldus nobilis de Büren, hoc factum cognatorum meorum, ciuiumque ipsorum, necnon ego Hermannus duus. castri in Dauerenbergh vt nullus hominum irrumpere vel mutare audeat, subscriptione nostra sigillorumque appensione duximus roborandum. Acta sunt hec in Padbergh anno Domini M°. CC°. sexagesimo tertio. Indictione sexta, quarto Idus Martii. Hujus rei testes sunt Thetmarus plebanus ibidem. Fredericus de Horhusen. Ludolphus de Dalwich milites. Hermannus de Padberg. Odelricus de

---

11) Hier folgt in der Beſtätigung von 1290 zuerſt 21. Si quis in figura judicii aliquem de damno aliquo conuenire noluerit (uoluerit) damnum sibi illatum demonstrabit. — 12) In der Beſtätigung von 1290 heißt es nur: Vigil superioris porte uersus castrum à nobis in pretio est procurandus.

Westhem, Suickerus de Westhem, Stephanus de Horhusen et alii quam plures.

18.

1277. August 14. Sühnevertrag zwischen der Kirche zu Paderborn und Albert von Störmede.

Nach dem Orig. im Archive der Stiftskirche zu Paderborn.[13])

In nomine Domini amen. Anno Domini M°.CC°.LXX°.VII°. in vigilia assumptionis beate Marie virginis, super hiis litteris (liberatione) Domini Alberti de Stormede et Alberti filii sui, ordinationis et compositionis inter Capitulum et Paderbornensem Ecclesiam ex parte una et prefatos Dominum Albertum militem et suum filium Albertum ac eorum consanguineos et amicos ex parte altera per fidem prestitam et juramentum interpositum ab ipsis Alberto et ejus filio et per osculum datum a Domino Decano nomine Capituli et a Domino Conrado milite dicto de Ethlen nomine omnium ministerialium et fidelium Paderbornensis ecclesie ex parte una et Dominum Albertum predictum et suum filium nomine proprio et nomine omnium consanguineorum suorum ac amicorum firma inviolabilis ordinata exstitit in hunc modum. Quod prefati dominus Albertus et suus filius renunciarunt libere omni juri, quod habuerunt, vel quod se habere dicere poterunt in villicationibus Ervethe et Vilse ac in oppido Saltkoten cum eorum omnibus attinentiis. Item renunciaverunt libere omni questioni, quam habere possint sive vellent ex nunc super dampnis, que sustinuerunt in bonis suis et corporibus ipsi ac eorum amici post (per) motam discordiam inter Paderbornensem ecclesiam atque ipsos. Item nunquam de cetero reedificabunt castrum et oppidum Stormede,

---

13) Ein Auszug dieser Urkunde ist, nach Schaten, in unserem Urkundenbuche I, Nr. 380 mitgetheilt. Wir geben sie hier vollständig nach dem Original, welches aber leider so übel erhalten ist, daß es dem Herrn Archivar von Hatzfeld zu Münster, dem wir die Abschrift verdanken, nur mit Hülfe einer alten Abschrift aus dem Arnsberger Lehns-Archive, die wir ihm zu solchem Ende mitgetheilt, möglich war den Text so wie geschehen herzustellen. Die abweichenden Lesearten der alten Abschrift, so wie die im Original gebliebenen Lücken, haben wir aus jener in Parentheſen beigefügt.

nec unquam Paderbornensi ecclesie se opponent consiliis et auxiliis ullo modo, sed semper in obsequio ejusdem ecclesie constanter et fideliter permanebunt. Pariter et dominus Albertus predictus temporibus vite sue morabitur Paderborne vel Saltkoten vel in aliqua munitione Paderbornensi ecclesie attinente, nisi aliud sibi a Domino Paderbornensi Episcopo, qui pro tempore fuerit, de consensu sui Capituli de episcopali gratia concedatur. Item dominus Albertus sepedictus ac suus filius villicationem Munkehosen pro quadraginta marcis sibi persolutis (obligatum taliter) pro eadem summa habebunt, sicut venerabilis pater dominus Symon bone memorie Paderbornensis Episcopus ipsis ypothece vel pignoris tytulo obligavit, nec Capitulum Paderbornense ipsis erit in hoc casu ad aliquam warandiam obligatum nisi (quantum) ipsi continent super eo et (in) suis publicis instrumentis, et postquam villicatio supradicta liberata fuerit pro marcis quadringentis predictis, ex tunc manebit obligata Paderbornensi ecclesie pro trecentis marcis a Curbeiensi ecclesia redimenda. Et ut omnia supradicta perpetuo inviolabiliter observentur, predictus dominus Albertus et suus filius fidem dederunt et iuraverunt et in observantiam predictorum ipsa sicut punctata est per pacis osculum confirmando, cum tali securitate que orpheda dicitur perpetualiter observanda, ad quorum observantiam ab ipso domino Alberto et suo filio (tredecim) milites et famuli fidejussores constituti (sunt statuti) qui pari (predicta omnia) universi ac singuli (datione fidei) fideliter in solidum promiserunt, quorum nomina subnominantur: dominus Borchardus de Brakele, Godfridus de Huvele, Bernhardus de Hurde, Gotbertus de Dedenshusen, Gotfridus de Summere, tres fratres de Luthardessen Conradus, Henricus et Albertus, Alradus Magister, Conradus de Hoden, Thidericus de Piscina, Rodolfus de Lyppia, Willekinus de Vernede (nihilominus) promiserunt, per fidem prestitam corporalem, quod si omnia supradicta in tuto vel in aliqua sui parte fuerint violata, postquam ipse (predicti) Dominus Albertus et suus filius commoniti emendam non fecerunt competentem, ex tunc

post quindenam ipsi fidejussores prefati moniti (Paderbornensem civitatem secundum) fidem militarem (prestitam intrabunt, nullatenus recessuri de ipsa, nisi violatio composita vel excessus fuerit emendatus.) Nos dei gratia Episcopus, (Prepositus) Decanus et Capitulum, Ministeriales et Vasalli et fideles universi Paderbornensis ecclesie et Albertus miles de Störmede et Albertus natus ejus ac (ipsorum) fidejussores supradicti, presenti scripto publice protestamur, omnia supradictorum et universorum ac singulorum articulorum (in universis ac singulis articulis) ut supradictum est, esse vera, per appositionem nostrorum sigillorum publice (protestamur) nec qui (et qui) (sigilla propria non habemus nec qui sigilla presenti scripto non apposuimus, sigillis appensis contenti fuimus Datum Padiborne) anno et die supradictis.[14])

Ex Originali Archivi Cathedr. Paderborn. Eccsae.
v. Hatzfeld.

---

[14]) Die angehängt geweſenen elf Siegel ſind ſämmtlich abgefallen.

Druck und Papier von H. F. Grote in Arnsberg.

Bayerische Staatsbibliothek MÜNCHEN

Digitized by Google

Zet